



Hippocratis Aphorismi
1530











3193/A
A.X8

3193

Joannes: Marius

Ejusdem

Lud: cus Thebear



¶ APHORISMI HIPPOCRATIS, NICOLAO LEONICENO VICENTINO INTERPRETE. LIB. VII.

EIVSDEM PRAESAGIA, Gulielmo Copo Basiliensi interprete. LIB. III.


EIVSDEM DE RATIONE victus in morbis acutis. Lib. IIII.

EIVSDEM DE NATVRA humana, Andrea Brentio Patauino interprete.

GALENI ARS MEDICINALIS interprete Nicol. Leoniceno.

B.  R.

Venet 1530



APHORISMORVM HIPPOCRATIS liber primus, Nicolao Leoniceno Vicentino interprete.

Aphor. 1.



lta breuis, ars vero longa, occaſio autẽ præceps: experimẽtũ periculoſum, iudiciũ difficile. Nec ſolum ſeipſum pręſtare oportet oportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & exteriora.

Aphor. 2.

IN perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontinis, ſi talia purgentur qualia purgari oportet, cõfert, & leuiter ferunt. ſin minus, contrà. Sic & vaſorum innanitio, ſi talis fiat qualis fieri debet, cõfert, & bene tolerãt: ſin minus, contrà. Inſpicere itaq; oportet & regionẽ, & tempus, & ætatẽ, & morbos in qbus cõueniat aut non.

Aphor. 3.

HAbitus exercitatorum qui ad ſummum bonitatis attingunt,

periculosi si in extremo constiterint. neq; enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum vero non quiescant, neque possunt proficere in melius: reliquum est igitur vt decidāt in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. neq; compressiones ad extremum ducendæ: periculosum enim. Sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt, periculosæ. & rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.

Aphor. 4.

Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis vero, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis ē. Nā & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

Aphor. 5.

IN tenui victu ægri delinquunt. quo fit vt magis ledātur. Quicūq; enim error cōmittitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori victu

propterea etiã sanis periculosus existit valde exquisitus victus, & constitutus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo qui sit paulo plenior, magis periculosus.

Aphor. 6.

EXtremis morbis, extrema exquisite remedia optima sunt.

Aphor. 7.

VBi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu vtẽdum est. Vbi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi, indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.

Aphor. 8.

QVando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

Aphor. 9.

COniectari autẽ oportet, an æger cũ victu sufficiat pdurare donec morbus cõsistat, & nũquid prius ille deficiat, nec possit cũ victu pdurare, vel morbus anteà deficiat, atque hebetescat.

Aphor. 10.

QVibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, his ſtatim tenuis victus adhibendus eſt. quibus vero poſterius debet cōſiſtere, his & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahēdus. prius vero vberius agēdum, vt æger ſufficiat.

Aphor. 11.

IN acceſſionibus abſtinere oportet. nam cibum dare, nocuū eſt, & quibus per circuitum fiūt acceſſiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet.

Aphor. 12.

ACceſſiones vero & cōſtitutiones, morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituū ſucceſſiua incremēta, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue per maiora interualla fiant. Sed ex his quæ mox apparēt, indicia ſumuntur: quēadmodū in morbo laterali, ſi circa initio ſtatim ſputū appareat, morbum breuiat, ſi vero poſtea appareat, producit. Et vrinæ, & alui excrementa, & ſudores, quæcunq; apparuerint, vel bonam morborū iudicationem, vel malam, vel breues, aut longos fore morbos oſtendunt.

Aphor. 13.

SEnes facillime ieiunium ferũt: secundo loco qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.

Aphor. 14.

QVi crescunt, plurimum habẽt calidi innati. plurimo igitur egẽt alimẽto, alioquin corpus absumitur. Senibus vero parũ calidi innati inest: paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extingũtur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidũ enim eorum corpus.

Aphor. 15.

VEntres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus egent alimentis. iudicio sunt ætates, & athletæ.

Aphor. 16.

VIctus humidus febricitantibus oĩbus cõfert, maxime vero pueris, & aliis q tali victu vti cõsueuerũt.

Aphor. 17.

ET quibus ſemel, aut his, & quibus plurāne, an pauciora particulatim oporteat afferre, conſiderandum. Cō donandum autem aliquid tempori, ætati, & conſuetudini. Aphor. 18.

AEſtate, & autūno cibos difficillime ferūt, hyeme, facillim e: ſecundum locū ver habet. Aphor. 19.

HIs qui per circuitus, acceſſionem habent, nihil dare oportet, neq; cogere, ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes.

Aphor. 20.

QVæ iudicātur, & iudicata ſunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamētis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere.

Aphor. 21.

QVæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia eò ducere.

Aphor. 22.

COncocta medicari, atq; mouere non cruda, modo non turgeant, plurima vero non turgent.

Aphor. 23.

DEiectiones, non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atq; vbi vsq; ad animi defectionem expedit ducere, faciendũ, si æger possit tolerare. Aphor. 24.

IN acutis passióibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendũ. Aphor. 25.

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt si contrà, difficulter.

¶APHORISMORVM HIPPOCRATIS

liber secundus, Nicolao Leoniceno Vicẽtino ĩterp̃te.



Aphor. 1.

IN quo morbo sõnus laborem facit, mortale, si vero iuuat, non mortale. Aphor. 2.

VBi somnus delirium sedat, bonum. Aphor. 3.

SOmnus, atq; vigilia, vtraq; si modum excesserint, malum.

Aphor. 4.

NOn satietas, nõ fame, neq; aliud quicquã quod modum naturæ excesserit. Aphor. 5.

SPontaneæ lassitudines, morbos prænuntiant. Aphor. 6.

QVicũq; dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorẽ non sentiunt: his mens ægrotat.

Aphor. 7.

QVæ longo tempore extenuantur corpora, lẽte reficere oportet. quæ vero breui: breuiter.

Aphor. 8.

SI à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimẽto corpus vti significatur. quod si nõ assumente cibũ hoc accidat, scire oportet quód indiget euacuatione.

Aphor. 9.

COrpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

Aphor. 10.

NOn pura corpora quãta plus nutries, tanto magis lædes.

Aphor. 11.

FAcilius est impleri potu, quam cibis.

Aphor. 12.

QVæ reliquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.

Aphor. 13.

QVibuscunque crisis, id est iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem. Quæ vero subsequitur magna ex parte leuior existit.

Aphor. 14.

IN profluuiis alui, mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

Aphor. 15.

VBi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosæ fuerint, corpus vna ægrotat. si vero similes sanis, tutũ est corpus nutrire.

Aphor. 16.

VBi fames, laborandum non est.

Aphor. 17.

VBi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit. ostẽdit autem sanatio.

Aphor. 18.

EOrũ q̃ vniuersim & velociter nutriũt, veloces quoque fiũt excretões.

Aphor. 19.

ACutorum morborum non omnino sunt certæ prẹnũciationes, aut salutis, aut mortis. Aphor. 20.

QVibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, his senescẽtibus exiccatur. Quibus vero iuuenibus adhuc aluus sicca est, his senescentibus humectatur. Aphor. 21.

FAmem, thorexis, id est vini potio soluit.

Aphor. 22.

QVicunque morbi ex repletione fiũt, curat euacuatio. Et quicunque ex euacuatione, repletio. & aliorum contrarietas.

Aphor. 23.

ACuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

Aphor. 24.

SEptenorum, quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & vndecimus contemplabilis. Ipse enim quartus, est alterius septimanæ. Rursus vero & decimus septimus contemplabilis. ipse siquidem quartus, ẽ à quartodecimo:

ſeptimus vero, ab vndecimo.

Aphor. 25

AEſtiuæ quartanæ magna ex parte breues: autumnales, lōgę, & maxime quæ hyemem attingunt.

Aphor. 26

FEbrem cōuulſioni ſuperuenire melius eſt, quā febri conuulſionem.

Aphor. 27

HIs qui non ex ratione leuius ſe habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala quæ pręter rationem eueniunt. Plurima enim talia ſtabilia non ſunt, neque multū durare, & permanere conſueuere.

Aphor. 28.

FEbricitantium non omnino leuiter, pmanere corpus, & nihil minui, vel etiam plus quā ratio poſtulat contabeſcere, malum. hoc enim morbi lōgitudinem, hoc vero imbecillitatem ſignificat.

Apho. 29

CVm morbi inchoant, ſi quid mouendum videtur, moue. cum vero conſiſtunt. ac vigēt, melius eſt quietem habere.

Aphor. 30

CIrca initia,& fines,omnia imbecilliora. cum vero consistunt fortiora. Aphor. 31

ELus qui ex ægritudine bene cibatur,nihil proficere corpus malũ. Aphor. 32

OMnes feré qui male se habent circa initia bene cibati,nec quicquã proficientes:circa finem rurs. s cibũ non appetunt. qui vero circa initia cibum valde non appetunt,postea bene appetentes,ii melius euadunt. Aphor. 33

IN quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur,bonum.contra vero se habere,malum. Aphor. 34

IN morbis minus piclitantur quoꝝ naturæ,aut ætati,aut habitui, aut tempori magis cõgruit morbus,quã quibus secũdum nihil istoꝝ congruit. Aphor. 35

IN quouis morbo partes ad vmbilicũ,& imũ vẽtrẽ attinẽtes crassitudinẽ habere,melius est.multum vero extenuari,ac contabescere, prauum. Sed & hoc quoque ad inferiores pur

gationes, piculosum. Aphor. 36
QVi salubritatem corporis habent, p medicamenta euacuati cito exoluũtur. & qui prauo vtuntur cibo. Aphor. 37
QVi bene se habẽt corpore, difficulter ferunt medicationes. Aphor. 38
PArum deterior potus, aut cibus, suauior aũt, melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus. Aphor. 39
SEniores iuuenibus plurimũ ęgrotant minus. Qui vero morbi ipsis accidũt lõgi, maxima ex parte comitãtur ad mortẽ. Aphor. 40
RAucedines, & grauedĩes in valde senibus coctionẽ nõ admittunt. Aphor. 41
QVi frequẽter, ac fortiter absq; cã manifesta exoluũtur, de repẽte moriũtur. Aphor. 42
SOluere morbum, quẽ apoplexiã vocãt, fortẽ, ĩpossibile. debilẽ vero non facile. Aphor. 43
STrangulati, atque dissoluti, nondum mortui, non referuntur qui-

bus spuma circa os fuerit.

Aphor.44

QVi natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quã qui graciles.

Aphor.45

QVicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporũ, & locorum, & victuum quoque liberantur.

Aphor.46

DVobus doloribus simul eundẽ locũ infestantibus, vehemẽtior alterum obscurat.

Aphor.47

DVm pus cõficitur, dolores, ac febres accidunt magis, q̃ iam confecto.

Aphor.48

IN omni corporis motu vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinẽ aufert.

Aphor.49

QVi cõsueti solitos labores ferre, & si fuerĩt imbecilles, & senes, non consuetis, fortibus, atq; iuuenibus facilius ferunt.

Aphor.50

QVæ ex lõgo tẽpore consueta sũt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent.

Oportet

Oportet igitur ad insueta pmutari.

Aphor. 51

PLurimum, atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere: periculosum. quoniam omne nimis est naturæ inimicum. sed quod paulatim fit, tutum est tum aliás, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.

Aphor. 52

OMnia secũdum rõnem facientĩ, si non succedat secundũ rõnem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio visum est.

Aphor. 53

QVicunq̃ue aluos humidas habẽt, siquidem iuuenes fuerint, melius commutant his qui siccas habent. Ad senectam vero deterius commutant. nam senescẽtibus magna ex parte exiccant.

Aphor. 54

MAgnitudo corporis iuuentę quĩdem, neque indecens, neque illiberalis, senectæ vero inutilis, & deterior paruitate.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS liber tertius, Nicolao Leoniceno Vicetino interprete.

Aphor. 1


Vtationes tēpoꝝ potissimū pariunt morbos: & in quibusdam tēporibus magnę mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratiōe, eodē modo.

Aphor. 2

NAturarū, hæ quidē ad æstatē, hæ vero ad hyemē bene, malève se habent.

Aphor. 3

MOrbi quoq; alii ad alia bene, vel male se habent, & quædam ętates ad tēpora, & loca, & victus genera.

Aphor. 4

IN temporibus, quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autūnales morbos expectare oportet.

Aphor. 5

AVstri auditū hebetātes, caliginosi, caput grauātes, pigri, dissoluētes. qn̄ huiuscemodi tempestas ꝑualue

rit, talia in morbis patiũtur. At si aq-lonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarũ dolores, & pectoris. qñ hæc tẽpestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.

Aphor. 6

QVãdo æstas fit verisimilis, sudores in febribus multos expectare oportet.

Aphor. 7

IN siccitatibus febres acutæ fiunt: & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionẽ, tales plurimũ morbos oportet expectare.

Aphor. 8

IN cõstãtibus tpibus, cũ tẽpestiue tẽpestiua reddũtur, morbi cõstãtes & boni iudicii fiũt. In ĩcõstãtibus ãt, ĩcõstãtes, & mali iudicii.

Aphor. 9

AVtumno morbi acutissimi, atque exitiales, maxima ex parte. Ver vero saluberrimum, & minime exitiale.

Aphor. 10

AVtumnus tabidis malus.

Aphor. 11

DE temporibus: si quidem hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver

vero pluuiofum, & auftrale neceffe eft, æftate febres acutas, & lippitudines (Greci ophthalmias vocant) & intestinorum difficultates, præcipue vero mulieribus, & viris qui natura fũt humidiores.

Aphor. 12

SI vero hyems auftralis, & pluuiofa, & ferena fuerit, ver autem ficcum & aquiloniũ, mulieres qbus partus ad ver ineft, ex quacunq; occafione abortiunt: q̃ vero pariẽt, ĩbecilles, & morbidos ĩfantes pariũt, quare vel ftatim intereũt, vel tenues, & valetudinarii viuũt. Cęteris vero mortalib⁹ difficultates ĩteftinoꝝ, lippitudines ficcę fiunt. Senioribus aũt deftillationes quę cito interiment.

Aphor. 13

SI vero ęftas ficca fuerit, & aquilonia, autũnus vero pluuiofus, & auftralis, dolores capitis ad hyemẽ fiũt, & tuffes, raucedines, atq; grauedines, quibufdam autem & tabes.

Aphor. 14

SI vero aquilonius, & ficcus: his qui naturam habent humidiorem, &

mulieribus conferet, reliquis autem erunt lippitudines ſiccæ, & febres acutæ, & grauedines. nonnullis vero & atræ biles.

Aphor. 15

EX anni autē conſtitutionibus (qđ in totum dixerim) ſiccitates ībribus ſunt ſalubriores, & minus mortiferæ.

Aphor. 16

MOrbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres lōgę, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, quos apoplexias Græci vocant, & anginæ. In ſiccitatibus autem, tabitudines, lippitudines, articulorū dolores, ſtillicidia vrinę, & difficultates inteſtinorum.

Aphor. 17.

QVotidianæ autem conſtitutiones, aquiloniæ quidem corpora denſant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt, & aluos exiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis obſederit dolorē augēt. Auſtrinę diſſoluūt corpora, & humectāt, auditum obtundūt, capita aggrauāt, &

vertigines faciũt, oculis atq; corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant. Aphor. 18

PEr tempora anni, vere quidem, & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur ætate, optime degũnt, & sani sunt maxime. Aestate vero & autũno, vsque ad aliquid senes. Reliquũ & hyeme, qui mediã ętatem habent.

Aphor. 19

MOrbi, omnes quidẽ in omnibus tẽporibus fiunt, quidã vero magis in quibusdam ipsorum & fiũt & excitantur. Aphor. 20

VEre etenim furores, & atræ biles & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepre, & tusses, & impetigines, & vitiligines, & pustulę vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

Aphor. 21

AEstate aũt, nõnulli hoꝝ, & febres cõtinuæ, & ardẽtes, & tertianæ febres, & quartanæ, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculoꝝ, & aurium dolores, & oris vlceratio-

nes, genitaliũ putredines, & sudamina. Aphor. 22

AVtũno vero, & plurimi vel æstiui morbi fiũt, & febres quartanę, & erraticę, & lienes, aquę ĩter cutẽ, & tabes, & stillicidia vrinę, & difficultates ĩtestinorum, & leuitates ĩtestinorum, & coxẽdicũ dolores, & anginę, & anhelationes, (quas Græci asthmata vocãt) ilei, morbi comitiales furores, atræ biles. Aphor. 23

HYeme vero, morbi laterales & pulmõis ĩflãmatiões, grauedines, atq; raucedines tusses, dolores pectoris & laterũ, atq; lũborum, capitis dolores, vertigines, & apoplexię. Aphor. 24

IN ętatibus aũt talia cõtingũt, puis & nuper natis puerulis, oris vlcera (q̃ aphthę vocãtur) vomitus, tusses, vigilię, pauores, vmbilici ĩflãmationes, auriũ humiditates. Aphor. 25

IN pgressu vero cũ iam dentire incipiũt, gingiuarũ prurigines, febres, cõuulsiones, alui pfluuia & maxime cũ caninos ędũt dẽtes, & his præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent. Aphor. 26

CVm vero iam magis adoleuerint tonſillæ & vertebræ quæ in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus(quos Græci aſthmata vocant)calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucę(quas Græci acrochordonas vocant)ſatyriæ, ſtrumę, & alia tubercula, ſed præcipue ante dicta.

Aphor. 27

GRādioribus āt, & iā accedētibus ad pubertatē plurima ex his, & febres diuturnę magis, & ex naribus pfluuia ſanguinis. Aphor. 28

PLurimæ autem paſſiones puerulis iudicantur. nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in ſeptem menſibus, nōnullę vero in annis ſeptem, quædam vero iam ad pubem accedentibus. quę vero permāſerint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis cum menſtrua erūpunt, conſeneſcere conſueuerunt.

Aphor. 29

ADoleſcentibus autem ſanguinis ſpuitiōes, tabes, febres acutę, morbus comitialis, & alii, ſed p̄cipue antedicti. Aphor. 30

VLtra hanc ætatem aſthma:id eſt creber anhelitus,morbi laterales pulmonis inflammationes,letarghi, phrenetides ardores , diuturna pfluuia,choleræ,difficultates inteſtinoꝝ, leuitates inteſtinorũ hęmorrhoides.

Aphor. 31

SEnibus ſpirãdi difficultates,diſtillationes cũ tuſſe,vrinę ſtillicidia, vrinæ difficultates ,articulorum dolores,renũ paſſiões,vertigines,apoplexię mali habitus,pruritus totius corporis,vigilię,alui,oculorum,& narium humiditates,viſus obtuſus , glaucedines,auditus graues.

¶ APHORISMORVM HIPPOCRATIS liber quartus,interpte Nicolao Leoniceno Vicẽtino.



Aphor. 1

Tero gerẽtes ſunt medicãdę,ſi materia turget quarto menſę , & vſq; ad ſeptimum,ſed has minus . Iuniora autem & ſeniora ve-

reri oportet.

Aphor. 2.

IN medicationibus talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeũtia vtilia, quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

Aphor. 3.

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt. Contraria vero grauiter.

Aphor. 4.

MEdicari æſtate ſuperiores magis, hyeme vero inferiores.

Aphor. 5.

SVb cane, & ante canem difficiles ſunt medicationes.

Aphor. 6.

GRaciles & facile vomentes purgare ſuperius, cauentes hyemẽ.

Aphor. 7.

VOmentes vero difficulter, & mediocriter bene carnoſos, per infe riora cauentes æſtatem.

Aphor. 8.

TAbidos vero cauentes, ad ſuperiores purgationes.

Aphor. 9.

MElancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes. Aphor. 10.

MEdicari in valde acutis: si materia turget, eadē die. Tardare enī in talibus malū est. Aphor. 11.

QVibus tormina, & circa vmbilicū labores, & lumboꝝ dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliter soluitur, in aquā intercutē siccā firmatur. Aphor. 12.

QVorum alui intestinorum leuitate laborant, hyberno tpe supra purgari, malum.

Aphor. 13.

AD helleboros qui nō facile supra purgantur, eorū corpora ante potionem pluri cibo, atq; quiete humectanda sunt. Aphor. 14.

CVm biberit quis helleborum, ad motiones quidē corporū ducere magis, ad somnos vero, atq; quietem minus. Indicat aūt nauigatio turbari motione corpus.

Aphor. 15.

CVm volueris magis ducere helleborū, moue corpus: cū vero siste-

r e, somnũ facito, & non moueto.

Aphor. 16.

CArnes sanas habentibus hellebo rus periculosus. Facit enim cõuulsionem.

Aphor. 17.

SI quis febrẽ non habẽs, abstineat à cibo, & cordis morsum, seu vertiginem patitur, & oris amaritudinẽ sentit, purgatione indigere per superiora significat.

Aphor. 18.

SVpra præcordia dolores, purgatione indigere per superiora significant. Quicunq; vero inferiora molestant, per inferiora.

Aphor. 19.

QVi in medicamentis purgati, non sitiunt, non quiescunt pri usquam sitiant.

Aphor. 20.

NOn febricitantibus si tormina acciderint, & genuũ grauitas, & lũborũ dolor, purgari inferius oportere significatur.

Aphor. 21.

DEiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores magis praui fuerint

plures, peius: cum medicamento vero melius, & quanto colores plures non praui. Aphor. 22.

MOrbis quibuslibet incipientibus si atra bilis, vel supra, vel infra exierit, letale.

Aphor. 23.

QVibuscunq; ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quo vis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sãguis niger de subter exierit, postridie moriuntur. Aphor. 24.

DIfficultas intestinorum, si ab atra bile incœperit, letalis est.

Aphor. 25.

SAnguis quidem supra, qualiscũq; fuerit malus: infra aut , bonus est.

Aphor. 26.

A Difficultate intestinorum habito, si veluti carunculæ exeant, lætale est. Aphor. 27.

QVibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunq; ex parte cum reficiuntur, alui his humectantur.

Aphor. 28.

QVibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, supuenientibus biliosis deiectionibus cessat.

Aphor. 29.

QVibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur. Aphor. 30.

QVibuscunq; accessiones fiunt, quacunq; hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

Aphor. 31.

LAssitudinem habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

Aphor. 32.

QVibuscunq; resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hic fiunt abscessus.

Aphor. 33.

SEd & si ante morbum aliqua parte doluerit, hic morbus firmatur.

Aphor. 34.

Si à febre habito tumore nō existēte in faucibus, strangulatio repente supuenerit, letale. Aphor. 35.

SI à febre habito loculum, peruertitur, & vix poteſt deuorare ſine vllo tumore, letale eſt.

Aphor. 36.

SVdores febricitanti ſi incœperint, boni, & tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & ſeptimodecimo & vigeſimo, & vigeſimoſeptimo, & trigeſimoquarto. hi enim ſudores indicāt morbos. Qui vero nō ita fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidiuā. Aphor. 37.

FRigidi ſudores, cum acuta quidē febre mortem: cum mitiori autē, longitudinem morbi ſignificant.

Aphor. 38.

QVa parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum.

Aphor. 39.

ET qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus. Aphor. 40.

ET vbi in toto corpore mutatiōes, & ſi corpus refrigeretur, vel rurſus calefiat, vel color alter ex altero fiat, longitudinem morbi ſignificat.

Aphor. 41.

SVdor multus ex somno factus absque cā manifesta, corpus vti pluri cibo significat. Si vero cibum nō accipiēti hoc accidat, scire oportet ꝙ euacuatione indiget. Aphor.42.

SVdor multus calidus, vel frigidus superfluens, frigidus magis, calidus minus, significat morbum.

Aphor.43.

FEbres quæcunqꝫ non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocunqꝫ autem modo interimiserint, periculum abesse significatur. Aphor. 44.

QVibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt. Aphor.45.

QVibus tubercula, vel in articulis labores fiunt: hi pluribus vtūtur cibis. Aphor 46.

SI rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili: letale est.

Aphor.47.

EXcreationes in febribus nō intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ, & biliosæ. & si bene exeūt, siue per alui excretionem, siue

per vrinas:

per vrinas: bonæ. si vero non aliquid eorũ quę iuuant, per hęc loca excernitur: malũ. Aphor. 48.

IN febribus non intermittẽtibus, si partes exteriores frigidę, interiores vruntur, & sitim habeat, letale est.

Aphor. 49.

IN febre nõ intermittente, si labrũ, vel oculus, vel nasus, vel superciliũ peruertatur, vel non videat, vel nõ audiat, iam debili existente corpore, quicquid horum euenerit, mors ꝓxima est. Aphor. 50.

VBi in febre non intermittẽte difficultas spirandi, & deliriũ acciderit, letale. Aphor. 51.

IN febribus, abscessus q ad primas iudicationes non soluunt, longitudinem morbi significant.

Aphor. 52.

QVicũq; in febribus, vel in aliis morbis sponte illachrimant, nihil absurdum. qui vero non spõte, absurdius. Aphor. 53.

QVibus circa dẽtes in febribus quidã lentores nascuntur, his fortes fiunt febres.

Aphor. 54.

QVibus plurimum ſiccæ tuſſes leuiter irritantes in febribus ardẽtibus fiunt, nõ multũ ſiti infeſtantur.

Aphor. 55.

EX inguium tumoribus febres oẽs malæ, præter diarias.

Aphor. 56.

FEbricitanti ſudor ſuperueniens febre non deficiente, malũ. Prorogatur enĩ morbus, & multã ſignificat humiditatẽ.

Aphor. 57.

QVi à conuulſione, aut diſtentione neruorũ tenetur, febre ſuperueniente liberatur.

Aphor. 58.

A Febre ardente habito, rigore ſuperueniente, ſolutio.

Aphor. 59.

TErtiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod longiſſimũ eſt, iudicatur.

Aphor. 60.

QVibus in febribus aures obſurduerũt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbũ.

Aphor. 61.

FEbricitantẽ niſi diebus imparibus

febris reliquerit, solet recidiuare.

Aphor. 62.

QVibus in febribus morbus regius ante diē septimū accidit, malū. Aphor. 63.

QVibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febre soluuntur. Aphor. 64.

QVibus in febribus morbus regius, septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo superuenerit, bonū: nisi dextrū ilium obduruerit. si vero non, non bonū.

Aphor. 65.

IN febribus circa ventriculū & fortis æstus, & cordis morsus, vel dolor, malū. Aphor. 66.

IN acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malū.

Aphor. 67.

IN febribus ex somnis timores, vel cōuulsiones, malū. Aphor. 68.

IN febribus spiritus offendens, malum. cōuulsionē enim significat.

Aphor. 69.

QVibus vrinæ crassæ, grumosę, paucę, nō sine febre, multitu-

do veniens ex his tenuis iuuat.pcipue vero tales veniunt qbus ab initio, vel breui sedimẽ ineſt. Aphor.70.

Q Vibus vrinæ perturbatæ quales ſunt iumentorũ, his dolor capitis vel adeſt, vel aderit.

Aphor.71.

Q Vibus ſeptima iudicatur, his nubeculam habet quarta die vrina rubeã, & alia ex rõne.

Aphor.72.

Q Vibus vrinæ albæ, & perſpicuæ, malæ: præſertim ſi in delirantibus appareant.

Aphor.73.

Q Vibus ilia ſuſpenſa murmurãtia lumborũ dolore ſuperueniente, his alui humectantur, niſi flatus erũpant, aut vrinæ multitudo proueniat. hęc vero in febribus.

Aphor.74.

Q Vibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos, liberat ab abſceſſu vrina multa, craſſa & alba facta, qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdã incipit fieri. Si vero etiam ex naribus fluxerit ſan

guis, breui admodum ſolutio fit.

Aphor. 75.

SI ſanguinē, aut pus mingat: aut re num, aut veſicæ exulcerationem ſignificat.

Aphor. 76.

QVibus in vrina craſſa exiſtente carūculę paruę, aut veluti capilli vnà exeunt, his à renibus excernitur.

Aphor. 77.

QVibus in vrina craſſa furfurea quædam ſimul exeunt, his veſica ſcabie laborat.

Aphor. 78.

QVicunque ſponte ſanguinem mingunt, his à renibus venulam ruptam ſignificatur.

Aphor. 79.

QVibus in vrinis arenoſa ſubſiſtunt, his veſica laborat calculo.

Aphor. 80.

SI ſanguinem mingant, aut grumos, vel ſtillicidiū vrinę habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & ſemen: circa veſicam labor eſt.

Aphor. 81.

SI ſanguinē aut pus minxerit, aut ſquāmulas, & grauis odor adſit,

vesicæ exulcerationem significat.

Aphor. 82.

QVibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur: his suppuratione facta, & eruptione, solutio.

Aphor. 83.

MIctio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS LIber quintus, interprete Nicolao Leoniceno Vicentino.

Aphor. 1.


Onuulsio ex helleboro, letalis est. Aphor. 2.

COnuulsio ex vulnere, letalis est.

Aphor. 3.

VBi sanguis plurimus fluxerit, singultus, aut cõuulsio superueniẽs, malũ.

Aphor. 4.

EX superflua purgatione, cõuulsio, aut singultus superueniens, malũ.

Aphor. 6.

SI ebrius quispiã repente obmutuerit, cõuulsus moritur, nisi febre cor

ripiatur, aut vbi ad horam peruenerit qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet. Aphor. 6.

QVicũq; à distentione corripiũtur, ĩ quatuor diebus pereũt: si vero has effugerint, sani fiũt. Aphor. 7.

QVibuscũq; morbi comitiàles fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt. quibuscũq; autẽ vigesimoquinto, cõmoriuntur. Aphor. 8.

QVicũq; morbo laterali laborãtes in quatuordecim diebus nõ repurgãtur, hi ad suppurationẽ vertũtur. Aphor. 9.

TAbes fiũt maxime ętatibus à decimooctauo vsq; ad trigesimum quintum. Aphor. 10.

QVicũq; ab ãgina liberãtur, his ad pulmonẽ vertitur, & ĩ septẽ diebus pereũt: si vero has effugerint, suppurãtur. Aphor. 11.

QVi tabe molestãtur, si sputum qđ extussiunt graue olet, iniectum carbonibus, & capilli in capite defluũt, letale. Aphor. 12.

QVibuſcunq; tabe laborātibus capilli à capite defluunt, his alui profluuio ſuperueniente moriuntur. Aphor. 13.

QVicunq; ſpumoſum ſanguinē expuunt, his è pulmone eductio fit. Aphor. 14.

A Tabe habito profluuium alui ſuperueniens, letale.

Aphor. 15.

QVicũq; ex morbo laterali ſuppurātur, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die à qua fit ruptio, liberātur. Si vero nō, ad tabē tranſeunt. Aphor. 16.

CAlidũ vbi quis ſæpius eo vtatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiá, mentis torporé, profluuia ſanguinis, animi defectioné, hæc ad'quę mors.

Aphor. 17.

FRigidum autem, conuulſiones diſtentiones, liuores, rigores febriles. Aphor. 18.

FRigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ. calidum vero, vtile.

Aphor. 19.

QVæcũq; refrigerata ſunt excalefacere oportet, exceptis his quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt.

Aphor. 20.

VLceribus, frigidum quidem mordax cutẽ obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, liuorẽ obducit, rigores febriles, cõuulſiones, diſtentiones.

Aphor. 21.

EST autem vbi in diſtentione ſine vlceratione, iuuene bene carnoſo, ęſtate media, frigidę aquę multa perfuſio calorem reuocat. Calor autem, hæc ſoluit.

Aphor. 22.

CAlidũ ſuppuratoriũ nõ in oĩ vlcere, magnũ ad ſecuritatẽ iudiciũ, cutẽ molit, extenuat, dolorẽ ſedat, rigores, cõuulſiones, & diſtẽtiones mitigat: & ex his q̃ ad caput attinent, eius ſoluit grauitatẽ, plurimũ aũt confert ocium fracturis, ſed nudis p̃cipue, eorũq; maxime qui in capite vlcera habent, & quęcũq; à frigore moriũtur, vel vlcerãtur, & repentibus comeſis, ſedi, pudendis, vtero, veſicę. his calidũ amicũ, & iudicans, frigidũ inimicum

& perimens. Aphor. 23.

IN his frigido vtendum vnde fluit sanguis, aut fluxurus est, nõ ad ipsa, sed circa ipsa vnde influit: & quæcũq; inflãmationes, vel inflammina ad rubrum, & subcruentũ sanguine recenti tendũt, nã veteribus nigredinẽ affert. Erysipelas etiã non vlceratũ iuuat: nã exulceratũ lędit. Aphor. 24.

FRigida qualis nix, & glacies pectori inimica, tusses mouẽt, & sanguinem, & destillationes.

Aphor. 25.

TVmores articulorũ, atq; dolores absq; vlcere, & podagricos quoque, atq; cõuulsa, horũ plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, soluitq; dolorẽ. nã modicus torpor dolorem soluit.

Aphor. 26.

AQua quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuissima est.

Aphor. 27.

QVi noctu bibere appetunt. his admodum sitientibus si super dormierint, bonum.

Aphor. 28.

SVffitus aromatum muliebria du- cit. sæpius vero ad alia vtilis esset nisi capitis faceret grauitatem.

Aphor. 29.

GRauidas purgare turgente mate ria à quarto mense vsq; ad septi- mum, minus vero has. Recentiores autem, & seniores vereri oportet.

Aphor. 30.

MVlierem vtero gerētem capi ab aliquo morbo acuto, letale est.

Aphor. 31.

MVlier vtero gerens sanguine mis so ex vena, abortit: & magis si fœtus sit maior.

Aphor. 32.

MVlieri sanguinē euomenti, men struis erūpentibus, solutio.

Aphor. 33.

MEnstruis deficiētibus sanguis ex naribus fluens, bonum.

Aphor. 34.

MVlieri in vtero gerenti si aluus plurimū profluat, periculum est ne abortiat.

Aphor. 35.

MVlieri quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit superueniēs sternutatio, bonum.

Aphor. 36.

MVlieri mẽses decolores, nec per idẽ semper tempus venientes, purgationem indicãt esse necessariã.

Aphor. 37.

MVlieri vtero gerenti si mammæ graciles repente fiant, abortit.

Aphor. 38.

MVlieri vtero gerẽti, si altera mã- ma gracilis fiat geminos habẽ ti, alterũ abortit. & siquidem mãma dextera gracilis fiat, marem: si vero sinistra, fœminam. Aphor. 39.

SI mulier quę neq; grauida est, neq; peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt. Aphor. 40.

QVibuscunque mulieribus ad mãmas sanguis colligitur, furorem significat.

Aphor. 41.

SI velis noscere an conceperit mu- lier, cum dormitura est ei aquam mulsam potandã da: & si alui tormi- na patietur, concepit: si minus, non concepit. Aphor. 42.

MVlier si marẽ concepit, bene co- lorata est: si vero fœminam, ma

le colorata. Aphor. 43.

SI mulieris grauidæ, ĩ vtero ſit eryſipelas, letale. Aphor. 44.

QVæcũq; ƥter naturã tenues exiſtentes vtero gerũt, abortiũt priuſq̃ craſſeſcãt. Apho. 45.

QVæcũq; mediocriter corpora habentes, abortiunt, ſecundo aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta: his acetabula vteri plena mucoris ſunt, & nõ poſſunt ex põdere fœtum continere, ſed diſrumpũtur. Aphor. 46.

QVęcũq; præter naturã craſſæ, nõ cõcipiunt vtero. his omentũ os vteri cõprimit: & prius q̃ extenuentur, non concipiunt. Aphor. 47.

SI vterus in coxam vergens ſuppuratur, neceſſe eſt linamẽtũ fieri. Aphor. 48.

FOetus, mares quidẽ in dextris: fœminæ vero in ſiniſtris magis. Aphor. 49.

VT ſecunda procidat, ſternutatorio appoſito, & nares apprehendito, & os. Aphor. 50.

MVlieri si velis mẽstrua cohibere, cucurbitulã quàm maximã ad mãmas appone. Aphor. 51.

QVæ vero gerunt, his vteri os comprimitur. Aphor. 52.

MVlieri vtero gerẽti, si lac multũ è mãmis effluat, fœtũ ĩbecillem significat, si vero mãmę solidę fuerit, fœtum significant saniorem. Aphor. 53.

QVæ corrupturæ sunt fœtus, his mãmę extenuãtur. Si vero rursus duræ fiant, dolor aut mãmas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrũpẽt. Apho. 54.

QVibus os vteri durũ est, his vteri os cõprimi est necessarium. Aphor. 55.

QVæcunque vtero gerente à febribus corripiuntur, & fortiter calefiũt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cũ periculo, aut abortũ facientes periclitãtur. Aphor. 56.

IN fluxu muliebri si cõuulsio, & animi defectus aduenerit, malum.

Aphor. 57.

SI mẽſtrua plura fiãt, accidũt morbi: & ſi non fiant, ex vtero morbi contingunt.

Aphor. 58.

REcto inteſtino, aut vtero inflãmationẽ patiẽte, vrinæ ſtillicidiũ accidit, & renibus purulentis vrinæ aduenit ſtillicidium.

Aphor. 59.

SI mulier nõ concipit, ſcire autẽ velis ſi cõceptura ſit, pãnis circuntectã de ſubter ſuffias, & ſi odor videatur p corpus ire ad nares, & os, ſcito quod ipſa non ex ſeipſa ſterilis eſt.

Aphor. 60.

SI mulieri vtero gerenti purgationes eant, ĩpoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum.

Aphor. 61.

SI mulieri ceſſent purgationes, neque febris, neque rigor ſuperueniat, & faſtidia incidant, iudica ipſam in vtero habere.

Aphor. 62.

QVæcunq; frigidos, & ſpiſſos vteros habent, non cõcipiũt. Et quęcunq; p̃humidos vteros habẽt nõ cõcipiũt. extinguitur enĩ in eis genitura. Et quæcũq; ſiccos, magis

& adurentes.nam ex defectu alimēti corrumpitur ſemen. Quæcunq; vero ex vtriſq; mediocrem habent tempe raturam, hæ fœcundæ ſunt.

Aphor. 63.

SImiliter aũt & in maribus. aut enī ꝑpter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, vt ſemen nō trāmittatur ad os: vel propter ſpiſſitudinem hu- mor nō exit foras: vel ꝑpter frigidi- tatē nō cōcaleſcit, ita vt ad hũc colli- gatur locum: vel ꝑpter caliditatē hoc idem accidit.

Aphor. 64.

LAc dare caput dolentibus, malũ: malũ vero & febricitantibus, & quib us ilia ſuſpēſa murmurāt, & ſiti- culoſis: malũ autē & quibus in febri- bus acutis bilioſę ſunt deiectiones, & qbus ſanguinis multi deiectio facta eſt. Cōuenit autē, & tabidis dare qui nō valde multũ febricitāt, & in febri bus longis, & paruis, ſi nullũ ex ſupra dictis ſignis affuerit, & præter ratio- nem cōſumptis.

Aphor. 65.

QVibus tumores in vlceribus apparent non conuelluntur maxime, neque inſaniunt.

Verum

Verum his euanefcẽtibus de repente quibufdã à tergo cõuulfiones & diftẽ tiones fiũt: quibufdã autẽ infania, vel dolor lateris acutus, vel fuppuratio, vel difficultas ĩteftinorum, fi tumores funt rubicundi. Aphor. 66

SI in vulneribus fortib⁹, & prauis tumor nõ appareat, ingẽs malũ. Aphor. 67

MOlles, boni: crudi vero, mali. Aphor. 68

DOlenti partẽ capitis pofteriorẽ, in frõte recta vena incifa ꝓdeft. Aphor. 69

RIgores incipiũt mulieribus quidẽ ex lumbis magis, & per dorfum ad caput: fed & viris parte corporis pofteriore magis, q̃ anteriore, veluti femorũ, cubiti. Sed & cutis rara indicio aũt eft pilus. Aphor. 70

A Quartanis capti nõ admodũ cõuulfiõibus capiũtur. Si vero prius capiantur, & quartana fupuenerit, liberantur. Aphor. 71

QVibus cutes circuntenduntur aridæ & ficcæ, fine fudore moriũtur, q̃bus vero laxę & rarę,

cum ſudore moriuntur.

Aphor. 72.

QVi regio morbo laborant, nõ multum ventoſi ſunt.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS liber ſextus, ĩterprete Nicolao Leoniceno Vicẽtino.

Aphor. 1.



N longis leuitatibus inteſtinorũ ſi ructus acidus fiat qui prius nõ erat, ſignum bonum.

Aphor. 2.

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur. Quibus vero cõtraria, ſalubrius degunt.

Aphor. 3.

IN longis difficultatibus inteſtinorum, inediæ ex faſtidio malum, & cum febre peius.

Aphor. 4.

VVlnera circũ glabra, praua ſunt.

Aphor. 5.

DOlores q ſunt in lateribus & pe-

ctoribus, atq; aliis partibus, si multū differāt pdiscēdum. Aphor. 6.

RENum, & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur.

Aphor. 7.

DOlores vētris sublimes, leuiores. Qui vero nō sublimes, fortiores.

Aphor. 8.

AQua inter cutem laborātibus, vlcera in corpore facta difficulter sanantur. Aphor. 9.

LAtæ pustulæ non admodum pruriunt. Aphor. 10.

CAput dolēti, & circūdolenti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens p nares, aut os, aut aures, morbū soluit.

Aphor. 11.

ATra bile vexatis, & renū passionibus, hęmorrhoides superueniētes, bonum. Aphor. 12.

ADiuturnis sanato hęmorroidibus, si vna nō seruatur, piculū est aquā īter cutē, vel tabē aduenire. Apho. 13

ASingultu habitū sternutatio superueniēs liberat. Aphor. 14.

AB aqua īter cutem habito, si aqua è venis in ventrem defluxerit,

ſoluitur morbus.

Aphor. 15

A Longo alui pfluuio habito, ſpõtaneus vomitus ſuperueniẽs morbum ſoluit.

Aphor. 16

A Morbo laterali, vel pulmõia habito, alui profluuium adueniẽs, malum.

Aphor. 17

Lippientem alui profluuio corripi, bonum.

Aphor. 18

VEſica diſſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto, aut aliquo ex tenuioribus ĩteſtinis, aut vẽtriculo, aut iecore, letale eſt.

Aphor. 19

CVm diſſciſſum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neq; augetur, neq; coaleſcit.

Aphor. 20

SI ventrem ſanguis præter effundi tur, neceſſe eſt ſuppurari.

Aphor. 21

IN inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, ĩſaniæ ſolutio.

Aphor. 22

QVæcunque rupta ex dorſo ad

cubitum descendunt, venæ sectio sol
uit. Aphor. 23.

SI timor, atq; mæstitia longo tempore habētes pseuerent, ex eo atra bilis significatur. Apho. 24.

SI quod intestinorum graciliū dis scindatur, non coalescit.

Aphor. 25.

ERysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab īterioribus autē ad exteriora, bonū.

Aphor. 26.

QVi in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluūtur.

Aphor. 27.

QVicūq; suppurati, aut aquam inter cutē patiētes vrūtur, aut secantur, si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriūtur.

Aphor. 28.

EVnuchi, neq; podagra laborant, neq; caluifiūt. Aphor. 29.

MVlier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

Aphor. 30.

PVer podagra non laborat ante vsum venereorum.

Aphor. 31.

DOlores oculorũ meri potio, aut balneum, aut venæ ſectio, aut medicamentum epotum ſoluit.

Aphor. 32.

BAlbi ab alui profluuio maxime capiuntur. Aphor. 33.

QVi acidum eructant: non valde morbo laterali corripiuntur. Aphor. 34.

QVicunq; calui ſunt, his magnę varices non fiunt. Quibus vero caluis varices magnę ſuperueniunt, hi rurſus capillati fiunt.

Aphor. 35.

AQua inter cutem laborantibus tuſſis ſuperueniens, malum.

Aphor. 36.

DIfficultatem vrinæ vena secta iuuat: ſecare vero interiores.

Aphor. 37.

AB angina habito, ſi tumor fiat in collo, bonum. Aphor. 38.

CAncros occultos omnes melius eſt non curare. Curati enim cito pereunt: nõ curati vero, longius tempus perdurant. Aphor. 39.

COnuulſio fit, vel ex repletiõe. vel inanitione: ita vero & ſingultus.

Aphor. 40.

QVibus dolor circa iliũ fit abſque inflammatione, his febris ſuperueniens morbum ſoluit.

Aphor. 41.

QVibuſcunq; ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, his ob craſſitudinẽ puris, aut loci, non innoteſcit. Aphor. 42.

MOrbo regio laborantibus, ſi fiat hepar durum, malum.

Aphor. 43.

QVicunque lienoſia à difficultate inteſtinorum capiũtur, his ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum, aqua inter cutem, leuitas inteſtinorum aduenit, & moriuntur. Aphor. 44.

QVibus ex ſtillicidio vrinę ileos ſuperuenerit, ĩ ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperueniẽte, ſatis vrina fluxerit. Aphor. 45.

VLcera quęcunque annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſariũ, & cicatrices cauas fieri.

Aphor. 46.

QVi gibbi ex aſthmate, aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur. Aphor. 47.

QVibuſcunque venæ ſectio, vel purgatio, cum medicamento cõuenit, hos verè purgare, vel venam incidere oportet.

Aphor. 48.

Lenoſis difficultas inteſtinorũ ſuperueniens, bonũ. Aphor. 49.

QVicũq; morbi podagrici fiũt, hi ſadata in quadraginta diebus inflammatione finiunt.

Aphor. 50.

QVibuſcunque præciditur cerebrum, his neceſſe febre, & bilis vomitum ſuperuenire.

Aphor. 51.

QVicunque ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim multi fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. Aphor. 52.

OPortet vero & conſiderare oculorum in dormiẽtibus ſuſpectiones. Nam ſi quid album cõmiſſis pal-

pebris ſubinſpicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum, & letale valde. Aphor. 53.

DEſipientiæ quę cum riſu fiunt, ſecuriores. quę vero cum ſtudio, periculoſiores. Aphor. 54.

IN acutis paſſionibus quæ cũ febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, malum.

Aphor. 55.

DOlores podagrici, vere, & autũno magna ex parte mouentur.

Aphor. 56.

IN morbis melancholicis ad hæc periculoſi decubitus, ſtuporem corporis, vel conuulſionem, vel furorẽ, vel cæcitatem ſignificant.

Aphor. 57.

APoplexiæ autem fiunt, maxime à quadrageſimo anno vſque ad ſexageſimum. Aphor. 58.

SI omẽtum excidat, neceſſario putreſcit. Aphor. 59.

QVibuſcunque à coxendicũ dolore moleſtatis excidit coxa, & rurſus incidit, his mucores ſuperueniunt. Aphor. 60.

QVibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, his crus tabeſcit, & claudicant, ſi non vrantur.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS LIber ſeptimus, Nicolao Leoniceno Vicentino interprete.

Aphor. 1.

IN morbis acutis, frigus partiũ extremarum, malum.

Aphor. 2.

IN oſſe ægrotante caro liuida, malum eſt.

Aphor. 3.

A Vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum.

Aphor. 4.

A Sudore horror, non bonum.

Aphor. 5.

A Furore difficultas inteſtinorum, vel aliqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum.

Aphor. 6.

IN morbo diuturno faſtidium cibi & deiectiones ſynceræ, malum.

Aphor. 7.

EX multa potatione rigor & desipientia, malum

Aphor. 8.

A Tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fit.

Aphor. 9.

A Profluuio ſanguinis, deſipientia, ac conuulſio, malum.

Aphor. 10.

A Bileo, vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio, malum.

Aphor. 11.

A Morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.

Aphor. 12.

A Pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

Aphor. 13.

AB æſtibus fortibus conuulſio, aut diſtentio, malum.

Aphor. 14.

IN capitis ictu obſtupeſcétia, & deſipientia, malum.

Aphor. 15.

A Sanguinis ſputo, puris ſputum.

Aphor. 16.

A Puris ſputo phtiſis, & fluxus. cum vero ſputũ retinetur, moriũtur.

Aphor. 17.

IN hepatis inflammatione ſingultus, malum. Aphor. 18.

IN vigilia, conuulſio, vel deſipientia. Aphor. 19.

IN oſſis exutione eryſipelas.

Aphor. 20.

AB eryſipelate, putredo, aut ſuppuratio. Aphor. 21.

A Forti in vlceribus pulſu, profluuium ſanguinis. Aphor. 22.

A Ventris dolore diuturno, ſuppuratio. Aphor. 23.

A Diectione ſyncera difficultas inteſtinorum. Aphor. 24.

IN oſſis præciſione deſipientia, ſi in vacuum apprehenderit.

Aphor. 25.

EX medicamenti potione conuulſio letalis eſt.

Aphor. 26.

IN forti dolore vẽtris, partium extremarum frigiditas, malum.

Aphor. 27.

MVlieri vtero gerenti, ſi tenſio ſuperuenerit, facit aborſum.

Aphor. 28.

Q Vando os, aut cartilago, aut neruus abſcinditur in corpore, non augetur.

Aphor. 29.

Q Vi alba pituita detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſuperuenerit, a morbo liberatur.

Aphor. 30.

Q Vibus in alui profluuiis excrementa ſpumoſa ſunt, his ex capite pituita defluit.

Aphor. 31.

Q Vibuſcũque febricitantibus, in vrinis fiunt ſedimina, veluti farina craſſior, longam ægritudinem fore ſignificat.

Aphor. 32.

Q Vibus autem biliosa ſedimina ſupra tenuia, acutum morbum ſignificant.

Aphor. 33.

Q Vibuſcunque vrinæ diſtantes ſunt, his turbatio fortis in corpore fit.

Aphor. 34.

Q Vibus in vrinis bullæ ſubſiſtunt, morbum renalem, & longum ſignificant.

Aphor. 35.

QVibus insidens pingue, ac simul totum his, renum vitium acutum significatur.

Aphor. 36.

QVibus autem morbo renali laborantibus, prædicta accidūt signa doloresque circa spinæ musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta: si vero dolores magis circa loca interiora fiant, etiã abscessus expecta futuros interius.

Aphor. 37.

QVicunque euomunt sanguinē, si sine febre quidem, salutare: si vero cum febre, malum. Curare vero acerbis, & refrigerantibus.

Aphor. 38.

DEistllationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies.

Aphor. 39.

SI quis sanguinē minxerit, & grūmos, & stillicidio vrinæ laboret, & dolor inciderit in femur & imum ventrem, pectinemque qui circa vesicam male se habere significatur.

Aphor. 40.

SI lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit, tale eſt melancholicum.

Aphor. 41.

SI timor atque mœſtitia longo tēpore hominem habentes perſeuerauerint, tale eſt melancholicum.

Aphor. 42.

SI ſenioribus ſupra modum purgatis, ſingultus ſuperuenerit, non bonum.

Aphor. 43.

SI febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti ſuperinfuſa, ſolutio fit febris.

Aphor. 44.

MVlier ambi dextera non fit.

Aphor. 45.

QVicunque ſuppurati vruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album, euadunt. ſi vero ſubcruentum, & fœculentum, ac fœtidum, pereunt.

Aphor. 46.

QVorū hepar ſuppuratū aduritur, ſi pus purū fluxerit, & album, euadūt: in tunica enim his pus cōtinetur. ſi vero qualis amurca fluat, pereunt.

Aphor. 47.

DOlores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneũ, venæ sectione curato. Aphor.48.

AQua inter cutem laborans, si à tussi habeatur, desperatus est. Aphor.49.

VRinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio & venę sectio soluit, incidere aũt interiores. Aphor.50.

AB angina habito, tumor, & rubor in pectore superueniens, bonum. extra enim vertitur morbus. Aphor.51.

QVibus cerebrum sphacelatũ, id est corruptum est, in tribus diebus pereũt. si vero hos euaserint, sani fiunt. Aphor.52.

STernutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aer enim intus contentus extra erumpit. sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus. Aphor.53.

QVicunque hepar circũdolent, his febris superueniens soluit dolorem. Aphor.54.

Quibus

QVibus à venis sanguinē mittere confert, his veré venā oportet secare. Aphor. 55.

QVibus īter vētriculū, & septū pituita reposita est, & dolorē affert nō habens exitum, neq; ad alterū ventrē: his per venas ad vesicam pituita versa soluitur morbus.

Aphor. 56.

QVibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his venter aqua repletur & moriuntur.

Aphor. 57.

HAlycę, anxietudo, oscitatio, horror, vinū ęquali potū soluit ęgritudinem. Aphor. 58.

QVibus in vrina ī meatu tubercula fiunt, his suppuratiōe facta, & eruptiōe, soluitur dolor.

Aphor. 59.

QVibus cerebrū aliqua ex causa cōcussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

Apho. 60.

COrporibus carnes habētibus humidas, famem adhibere conuenit. fames enim corpora siccat.

Aphor.61.

VBi in toto corpore mutationes & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut color est alium ex alio cõmutat: lõgitudo morbi significatur.

Aphor.62.

SVdor multus, calidus, vel frigidus, semper fluẽs humorẽ abduci, robusto quidẽ supra, debili vero infra significat.

Aphor.63.

SI quis cibum febricitãti dederit, vt sano robur, sic laboranti morbus.

Aphor.64.

QVæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet, si talia qualia sanis excernuntur. Quę igitur minime similia sunt his, hęc morbosiora. Quæ vero sunt sanis similia hæc minime morbosa.

Aphor.65.

ET quibus deiectiones, si stare permiseris, & nõ moueris, veluti strigmenta subsistunt: & si pauca, paucus est morbus, & si multa, multus. his cõfert alui purgatio. quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

Aphor. 66.

EXcreationes in febribus nõ intermittentibus liuidę, ſanguinæ bilioſæ, & fœtidæ, omnes malæ. Cum vero bene excernuntur, bonum eſt, & per ventrem, & per veſicam, & vbi aliquid ſecedens ſteterit non purgatum, malum.

Aphor. 67.

COrpora oportet vbi quis purgare voluerit fluida facere. & ſi ſupra, ſiſtere aluũ. ſi vero infra, humectare.

Aphor. 68.

SOmnus, vigiliæ, vtraque modum excedentia, morbus.

Aphor. 69.

IN febribus non intermittentibus, ſi exteriora frigent, interiora vruntur, & febris habeat, letale.

Aphor. 70.

INfebre non intermittente ſi labrũ, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium puertitur, ſi non videat, ſi nõ audiat, & iã debilis ſit quicquid horum fuerit, mors ꝓpe eſt.

Aphor. 71.

A Pituita alba, aqua inter cutem ſupperuenit.

Aphor. 72.

AB alui profluuio difficultas ĩtestinorum. Aphor.73.

A Difficultate ĩtestinoꝝ, leuitas ĩteftinoꝝ ſupuenit. Aphor.74.

A Corruptione, abſceſſus oſſis. Aphor.75.

A Sãguinis vomitu, tabes, & puris purgatio ſupra. Aphor.76.

QValia fuerint veſicæ, aut alui excremẽta, & ex carnibus, & ſicubi à natura corpus exierit ſi paꝝ, paucus eſt morbus: ſi multum, multus: ſi valde multum, letale eſt.

APHORIMORVM HIPPOCRATIS FINIS.

HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM liber primus, Gulielmo Copo Baſiliẽſi ĩterprete.



1.

Nihil perinde medico cõducibile cenſeo, quã vt prudentem ſe præſtare laboret. 2. 3.

SI enim apud ægros præterita, prę ſentia, & futura, atq; ea q̃ ipſi inter

narrãdũ omiſerũt nouerit, prædixeritq́;,nihil,quod ęgris vſu fuerit,ignorare putabitur . quo ſit vt audentius homines medico ſeſe comittant.

4.

ETenim perquam ſalutarem adhibebit curationem,ſi futuras affectiones præuiderit.Nã fieri nõ poteſt vt omnes ęgros ſanitati reſtituat,quã quam hoc multo præſtantius erat, quam futura prænoſcere. 5. 6.

IGitur quum homines intereãt,alii quidẽ ob morbi vehemẽtiã,ãtea q̃ vocetur medicus,nonnulli vero,vocato licet medico,repẽte moriuntur,ac alii vnico dum taxat die,alii paulo lõgiori ſpacio vitam extendũt,prius q̃ medicus arte ſua ſingulis morbis occurrendo reſiſtàt.Proinde harum affectionum naturas noſcere oportet, quantum videlicet corporis viribus ſint ſuperiores. 7.

QVin ẽt ſi diuinũ qdpiã morbis ineſt,huius quoq; ꝓuidẽtiã pdiſcere.ſic enim optimo iure, & admirabilẽ,& bonũ ſe preſtabit medicũ:quos enim ſupſtites fore cogno-

uerit, eos rectius quoq; seruabit, vtpo-te ex multo tẽpore singula cõsulte p-pendẽs. Itaq; morituros, victurosq; p-sentiẽs, atq; denunciãs, oẽm prorsus calũniam vitabit.

NOTAE EX FACIE.

8. 9. 10.

IN acutis morbis sic cõsideraŕ opor tet, in primis qdẽ ęgri faciẽ, an sa-norum faciebus, maxime vero suę ipsius, similis sit. ea enim optima cen senda est: quę vero maximo discrimi ne ab hac similitudine recedit, grauis simũ periculũ portẽdit, cuius hę sunt notæ. Nares acutæ. oculi cõcaui, colla-psa tẽpora, frigidæ cõtracteq; aures, & imis partibus leniter versæ, cutis circa frõtẽ dura intẽta & arida, totius faciei color aut niger, aut pallidus aut liuens, aut plumbeus. 11.

QVód si ĩter morbi initia hmõi facies appareat, neq; ex aliis ĩ-diciis cõiectura sumi possit, in quirẽdũ est, an vigilia, aut vẽtris vehe mẽs resolutio, aut inedia præcesserit: quoꝝ si qdpiã dephẽderis, nihil picu-li timendũ est. atq si ob hmõi cãs, hęc

faciei spẽs orta est, vna die, nocteq; fi nitur. si vero eas pcessisse ęger negauerit, diutiusq; iam dicto tẽpore, hec forma durauerit, scire licet eum morti proximum esse.

12.

Quòd si in vetere morbo iã triduo, quadriduoue talis est, inquirenda sunt ea signa, q̃ supra proposui. ad hæc, reliqua quoq; indicia, nõ solum ex facie, verumetiam ex reliquis corporis partibus perpendenda sunt, pręcipue ex oculis.

NOTAE AB OCVLIS.

13.

Nam si lumẽ refugiũt, & illachrymãt, idq; pter volũtatẽ, aut puertũtur, alterq; ex iis minor ẽ, & q̃ ĩ ipsis alba esse debẽt, rubescũt, aut genę pallẽt, atq; ĩ isdẽ venulę nigricãt, aut lippitudo ĩnatás tãdẽ ãgulis ĩhęret, aut frequẽs ẽ oculoꝝ motus, iiq; aut vehemẽter subsederũt, aut facti tumidiores sũt, fueritq; aspectus horridus obscurusq;, atque vniuersę faciei color mutatus: hęc omnia signa, mala, perniciosaque putanda sunt.

14.

QVinetiã oculorũ per ſomnum ſuſpectiones obſeruandę ſunt. Vbi enim palpebræ non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neq; id fluens, aluus, aut medicaméti potio pręceſſit pręſertim ſiquis nõ ſic dormire cõſueuerit: prauum hoc ſignum. letaléq; admodum eſt. 15.

SI palpebra, aut labrũ, aut naſus retorquetur, aut pallet, aut liuore inficitur, accedente quopiã reliquorum ſignorũ ęgrum morti proximum eſſe haud dubitãdũ eſt. Mortem etiã portendunt labra reſoluta, ſuſpenſa, frigida candicantia.

A DECVBITV NOTAE.

16.

DEprehendendus eſt æger in dextrum ſiniſtrũ velatus cubãs, brachiis, ceruice, & cruribus paulũ reductis ac vniuerſo corpore molliter affecto, qui feré ſani quoq; iacétis habitus eſt. quippe quũ optimus ſit ille decubitus, qui à ſanorum conſuetudine non variat.

17.

SEd non laudatur decubitus, quo brachia, ceruix, & crura extendũtur. 18.

ID vero grauius est, si seipsum ęger continere non valẽs, ad pedes subinde delabitur. 19.

VBi pepes nudat, neq; iis calor sub est, vbi brachia, ceruicẽ, & crura ięquabiliter dispergit ac nudat, malĩ morbi, angorisq; signũ est. 20. 21.

PErniciosum est, vbi hiãs qs assidue dormit, aut vbi supinus iacet, cruribus vehemẽter cõtortis, cõplicatisq;. 22.

SI pnus iaceat is, q p bonã valetudinẽ sic dormire nõ cõsueuit, aut deliriũ aut vẽtris dolorẽ portẽdit. 23.

VBi residere vult æger in ipso morbi vigore, malũ qdẽ ĩdiciũ est in oĩbus acutis affectibus, sed lõge pessimũ pulmõibus laborãtibus. 24.

STridor dẽtiũ p febres, pter cõsuetudinẽ à teneris contractam, insaniã significat & mortẽ. atqui ab vtrisque futurũ periculum denunciandum est. Si vero iã deliranti, stridor quoq; accedit, vix aliã ęque perniciosam in-

uenies notam. 25.

VLcus, siue ante, siue in ipso morbo natū est, obseruari debet. nā si moriturus est homo, aridum aut liués, aut pallidū, añ morté appet. 26.

EX mannū lotione huiuscemodi notas perpéde, in acutis febribus, in peripneumonia, phrenetide, capitis dolore, si quis eas faciei admouerit, vt inde quidpiā superuacue venetur, aut festucas carpat, aut à veste floccos, aut à pariete paleas auellat, omnes hæ malæ letalésq; sunt. 27.

SPiritus frequens, aut doloris, aut inflāmationis in partibus: septo transuerso superioribus, indicium est. Magnus, & ex longis interuallis, delirium declarat. Frigidus ex naribus & ore ꝓdiēs, letalis admodū est. 28.

FAcilis spiratio, in acutis morbis, quibus febris copulatur quiq; ītra quadraginta dies finiri solét, magnū habet ad salutem momentum.

DE SVDORE. 29.

SVdores, saluberrimi censentur, in omnibus acutis morbis, si in diebus decretoriis oriantur, se-

brimq; finiant, aut vbi toto corpore æqualiter insudante, æger morbũ facilius sustinere videtur. Contrà inutiles, q id efficere nõ valẽt. Pessimi omniũ sunt frigidi, & vbi caput dũtaxat aut facies, aut ceruix insudat: quippe qui in acuta quidem febre, mortem, in mitiore vero, morbum diuturnũ fore significant.

A PRÆCORDIIS NOTÆ.

30.

ATq; inter optima indicia sunt prẹcordia, vbi sine vllo sensu doloris in vtraq; pte æqualiter mollia sunt. Inflãmata vero, dolentia, & intẽta, & vbi aliter in dextra aliter in sinistra parte afficiuntur, suspecta haberi debẽt. 31. 32.

PRẹcordiorũ venẹ, si pulsẽt, aut turbationẽ, aut deliriũ portẽdũt: sed eorũ qui sic affecti sunt, oculos aspicere oportet: quippe frequens illorũ motus, insaniam cõminatur. 33.

PRẹcordia tumida, dura, dolẽtia, si in vniuersum sic affecta sũt, maximũ malũ portẽdũt, si vero altera pte dũtaxat, ex sinistra minus piculũ est.

34. 35. 36. 37.

CÆterũ huiusmodi tumores, in pricipio qdẽ proximã mortẽ denunciant. vbi vero vigĩti dies excesserit, neq; qescẽte febre, neq; tumore remisso ad suppurationẽ cõuertũtur. Atq; inter primos circuitus, sanguis é narĩbus fluẽs, nõ mediocri ipsis præsidio est. sed tũ sanguinis eruptio expectari debet, quũ ĩterrogati, aut caput dolere, aut oculos caligare fatẽtur. id vero iunioribus, videlicet circa quĩtum & trigesimum annum, plærunq; euenire solet. 38. 39.

MOllis tumor dolorẽ nõ inferens, & digitis cedens, lõgiori tẽpore finitur, sed nõ ita graue ab eo piculũ pendet. Quòd si intra sexaginta dies, neq; febris desinit, neq; tumor resedit suppurationẽ expectare oportet. Idẽ haud secus in reliqs quoq; vẽtris partibus perpenditur. 40.

ITaque durus, magnusq; tumor, dolore crucians, mortis periculũ, non multo post fore denunciat. Mollis vero & sine dolore, quiq; prementi digito cedit, longus esse solet.

41. 42. 43.

VEntris tumores,non tã crebro,vt hi qui in pcordiis oriũtur, abſceſſum effitiũt.quòd ſi ſub vmbilico cõſtituãtur,nequaq̃ ad ſuppurationem cõuertentur, ſed ex ſuperioribus maxime ſedibus,ſanguinis fluorẽ expectare oportet.In qbus omnis humor duturnus,ad ſuppurationem feré ſpectat.

44.

ITaq; ſuppurationum obſeruatio ſic accipienda eſt.earum enim q̃ in exteriorẽ partẽ erũpunt, optimæ ſunt paruę,admodũ eminẽtes, atq; in acutũ faſtigiatæ,peſſimę vero ſunt, quæ maximæ,quæq; planiſſimæ ſunt.

45.

SEd illarum quæ intus excitantur, optimæ cenſentur, quæ exteriorem cutem non decolorant, & contrahuntur,nulloque dolore cruciant, atque vbi exterioris cutis color manet vniformis.

46.

PVs illud optimum eſt,quod albũ & leue eſt,& haudquaq̃ fœtet.qđ vero ab hoc variat,peſſimum eſt.

ℭ HIPPOCRATIS COI PRÆSAGIORVM LIber ſecũdus, ĩterpte Gulielmo Copo

DE AQVA INTERCVTEM.

1.



Qua inter cutem ſi ex acuto morbo cœpit, piculoſa eſt. neq; enim febrim ſoluit, ſed doloribus torquet atq; interſicit, oritur vero magna ex parte vel ab ilibus & lumbis, vel à iecinore. 2.

SEd vbi ab ilibus lumbiſq; ortum contraxit, pedes tumidos reddit, fluoré diuturnũ inducit, qui neq; lumborum. iliũue dolorẽ ſoluit, neque vẽtrem efficit molliorem.

3.

AT quibus à iecinore aqua inter cutem proficiſcitur, ii tuſſi vexãtur, ſed qua penè nihil excreatur, pedes tument, deiectio dura, coctáque eſt, circa ventrẽ tumores, modo in dextra, modo in ſiniſtra parte attollũtur, deinde deſinunt.

4. 5. 6.

MAli etiam morbi ſignum eſt, caput & pedes, manuſque frigidas habere, vẽtre & lateribus calentibus. Securitatem pollicetur corpus, quod æqualiter molle, & calidum eſt, quodque facile conuertitur & ſurgit.

7. 8. 9.

GRauitas vero, quæ vel manus & pedes, vel reliquum quoque corpus premit, periculum ſignificat. Q đ ſi cum grauitate, vngues quoque ac digiti liuore afficiantur, cõtinuò perniciem expectare oportet. At omnino nigri, tum digiti, tum pedes, minus q̃ꝫ liuentes, periculum portendũt. ſed tũc ad reliqua ſigna refugerẽ oportet. etenim ſi æger facile malum ſuſtinet, adſintque alia quædam indicia, quæ ſecuritatem polliceri ſolent, ſuppurationem ſperabis, atque ſuperſtes manebit æger ſed denigratæ corporis partes decident.

10.

TEſticuli pudendáque retracta, vehementes dolores, atqꝫ letale periculum ſignificant.

DE SOMNO. 11. 12.

Q Vod vero ad ſomni rationẽ pertinet, quẽadmodũ ſani etiã ſolent, interdiu vigilare, noctu vero dormire oportet: à qua cõſuetudine ſi qs aberrauerit, peior erit ſomnus q inter quartã horã & noctẽ, quã q matutino tẽpore ad quartã. peſſimũ tamen eſt, ſi ſomnus neq; noctu, neq; interdiu accedit. id enĩ ob dolorẽ laboréq; accidit, vel deliriũ futurũ ſignat.

DE ALVI EXCREMENTIS.

13.

A Lui excrementa inter bona indicia ſunt, ſi mollia, ſi figurata ſunt, ſi eodẽ ferè tẽpore quo in ſecunda valetudine deiici ſolebãt, excernũtur: ſi his q̃ ingerũtur proportione reſpondent, vtpote quæ inferiorem ventrem recte valere declarãt. 14.

SI vero liqda fuerint, pręſtat vt ſine ſtridore, neq; frequẽter, neq; ex breuibus interuallis deiiciãtur, etenim fatigatur æger, ſi crebro ſurgit, vigiliiſque conſumitur, quum vero aff a

tim

tim sæpeq; deiicit, ne animus eum deficiat, periculum est.

15.

COnuenire debent excremēta, his quæ assumuntur, & bis ter ve interdiu, noctu vero semel deiici, idque maxime matutinis temporibus pro cuiusq; cōsuetudine. 16. 17.

AD finē iam tendente morbo, bonum est si crassiora reddantur, ac rufa, & odoris fœditate, sani hominis aluū non vehementer excedant.

18.

LVmbricos etiā cū excremētis sub fine morbi descēdisse nihil nocet.

19.

VEnter in quouis morbo vacuus, corpulentusq; esse debet.

20.

PEriculosum stercus est, quod perliquidum, albicans, pallidum, vehemēter rufum, aut spumās est. 21.

ITem malum est, quod exiguū, glutinosum, idēq; subpallidum est.

22.

OMnium maxime letiferū est, nigrū, pingue, liuēs, aut qđ peioris odoris q; pro consuetudine.

23.

VAria excremēta, quę diutius mortem differunt, non tñ minus sunt letalia. huiusmodi & ramētosa sunt, biliosa & nigra, atq; porri colorē imitantur.

24.

INter optima signa est flatus, q neq; strependo, neq; pedendo emittitur. quāq; enim satius est ipsum cum strepitu exire quā includi: tñ hoc pacto pdiens aut dolore, aut delirare ægrū significat, nisi sua sponte flatū ipsum emiserit.

25.

PRæcordiorū recentes quidē dolores, gibbosq;, nisi inflāmatio quoque accesserit, murmur in ipsis exortum soluit, ac vnà cū stercore, & vrinis, atq; flatu ægreditur. quod vbi nō contingit, si tamen ex sede sua transfertur, bonum signum est, idq; magis si ad inferiora descendit.

DE VRINIS.

26.

VRina illa optima est, in qua per totū morbi decursum residet album, leue, ęquale: hęc nimirū securitatem, breueq;

morbū significat. Quòd si aliqd hoc deest, vt modo liqda sit, modo albū, leueq; in ipsa resideat, hęc vt longiorē morbū denūciát, ita securitatē minorem pollicetur. 27.

SVbrubra vrina, in qua subrubrū, leueq; residet, q̃q̃ supiore morbū diuturniorē, eundē tñ salubriorē fore declarat. 28.

MAla est vrina, quũ id qđ residet, parti farinæ crassiori simile est. peior vero, si lamis. ac vitupatur quoque alba tenuisq;. quãq; longa maius periculũ illa portendit in qua quædã tanq; furfura resident. 29.

NEbulę in vrina suspensę, albę qdē bonę, nigrę vero malę sunt.

30. 31. 32.

CÆterũ quoad vrina rufa, tenuisq; apparuerit, crudũ morbũ signat. q si diutius talis pmãserit, ne priusq; morbus quiescat, ęger viribus destitutus succũbat, periculũ est. Perniciosissima est vrina, q̃ mali odoris, & diluta, & tenuis, & nigra, & crassa est. 33

IN viris quidē & mulieribus nigra, in pueris vero tenuis & diluta, de-

terrima eſt. 34.

SI vrina tenuis & cruda, ſic diu ferſtur, vt reliqua ſigna ſalutaria ſint, plerũq; infra ſeptũ trãſuerſum abſceſſus oriri ſolet. 35.

NEq; leuiter terrere nos debet vrina, cui pinguedo telis araneorũ ſimilis innatat, qppe quę hoīem tabe cõſumi ſignificat. 36.

NVbecularũ poſitum, ſupremũ ne locum, an infimũ teneant, obſeruare oportet. Nã quæ in ima pte cõſtituuntur cũ coloribus quos ſupra ppoſui, bonę ſunt, atq; laudãtur: quę vero ſurſum attolluntur, malæ, vituperandæq; ſunt. 37.

SEd caue ne veſica quoquo mõ affecta (ſi huiuſmodi reddiderit vrinas) te decipiat. tales enim nõ ad vniuerſum corpus, ſed ad ipſam dũtaxat veſicam referri debent.

DE VOMITV.

38.

PErquã vtilis eſt vomitus, q bilem pituitæ mixtam habet, ſi neq; craſſitie, neq; multitudine admodũ excedat. nã ſynceræ

pituitæ, bilisue vomitus piculosus est.

39.

SI vero viridis, aut liuidus, aut niger est, quilibet horum colorum acciderit, viciosus est. 40.

SI vero oẽs affatim in eodẽ appareant, mortis periculũ valde timẽdum est. 41. 42.

AD vltima ventum esse testatur liuidus vomitus, præcipue si malus in hoc odor est. si quidem fœtores in quouis vomitu mali sunt.

DE SPVTO.

43. 44. 45.

IN pulmonis, costarumq; dolorĩbus, oportet vt sputũ celeriter, facileq; screetur, & cruor sputo vehementer misceatur. Etenim si multo post doloris initium, aut cruẽtum, aut rufum, aut nõ sine multa tussi, nec adeò cõmixtum expuitur, viciosum censetur. 46.

QVippe cruentum si syncerum quoque fuerit, periculum subesse testatur. album vero, viscidum, & rotundnm, inutile est.

47.

MAli etiã morbi teſtimonium eſt qđ admodũ viride, quodq; ſpumoſum eſt. 48.

ID vero omni alio deterius eſt, qđ ſic eſt ſyncerũ vt nigrũ quoq; videatur. Neq; tutum eſt ſputũ, quod nõ expurgatur, nec proiicit ipſum pulmo, ſed ob nimiam plenitudinẽ feruet in gutture. 49

IN omnibus morbi pulmonis deſtillatio, ſternutamentũq;, ſiue præfuerint, ſiue ſupuenerint, periculũ oſtendunt: quãq; in cæteris morbis, vel periculoſiſſimis, vtilitate carent.

50.

SPutum cruentũ cui paulũ ſanguinis admixtũ eſt, in morbi principio, inflãmato pulmone ꝓiectũ, ſecuritatẽ atq; auxiliũ pollicetur. qđ vero ad ſeptimũ vſq; diẽ, longiori ve ſpacio tale apparet, nõ adeò tutũ eſt.

51.

OMne ſputum, quod dolorem nõ mitigat, malũ eſt. Nigrum (vt ſupra demonſtrauimus) peſſimum eſt: ſed longe ſaluberrimum eſt, id quod dolorem placat.

DE SVPPVRATIONE.

52.

DOlores in dictis ſedibus, quos neque ſputi purgatio, neq; ſoluta alvus, neque ſanguinis miſſio, neq; medicamentum, neq; victus ratio, ſedare potuit, ſcire licet eos ad ſuppurationem tendere.

53. 54. 55.

SVppuratio erūpens, ſputo adhuc bilioſo apparēte, ſiue bilis ſeorſū, ſiue vnà cū pure expuatur, admodū pernicioſa eſt, pſertim ſi à die morbi ſeptimo incœperit pus ab huiuſcemodi ſputo pcedere. Itaq; timendū eſt ei qui ſic expuit, ne decimaquarta die moriatur, niſi ſalutiferū aliqd iudiciū interea ſupueniat.

56.

POrrò bonæ ſpei ſigna ſunt, ſi ęger bñ ſuſtinet morbū, ſi facile ſpirat, ſi dolor leuatus eſt, ſi ſine difficultate ſcreat, ſi corpus ęqualiter molle & calidū eſt, neq; ſitis infeſtet: ñterea vrina, alui ſedimīa, ſomni, ſudores, vt de ſingulis ſupra demōſtrauimus, probe rñdent. quorū ſi nullū deeſt, haudquaq; æger morietur. Cōtrà, ſi intolerabilis

est morbus, si halitus magnus & frequēs est, neq; mitigatus est dolor, vix sputū redditur, sitis vehementer cruciat, febris inæqualr corpus afficit, si deniq; vēter & latera vehemēter calēt, fronte, manibus, & pedibus frigore affectis. atq; vrina & alui excremēta, & somni, & sudores, ex supra ꝓpositis notis periculū minantur. quicquid horum iam picto sputo supuenerit, aut nono, aut vndecimo die ægrum moriturum significat, ita vt decimū quartum non queat attingere. Huiusmodi coniectura letale sputum cōsequi oportet, qđ videlicet ad decimū quartū diem ægrū viuere nō permittit. Ex ꝑdictis itaq; signa, tum bona, tū mala ꝓpēdere, ac subinde futura prædicere oportet. 57.

REliquæ autem vomicę magna ex parte rumpūtur. sed aliæ in die vigesimo, aliæ trigesimo, aliæ quadragesimo, nonnullæ ad sexagesimū vsq; perueniunt. 58.

PRoinde suppurationis initiū obseruare oportet, qđ ab eo die putandum est quo primū quis aut febri-

citauit, aut inhorruit, aut pro dolore grauitatē illius partis sensit, quā antea dolor infestabat. Nā talia in suppurationū principio accidere solent. ab hoc igitur tēpore, vsq; ad iam definita spatia, vomicarū eruptiones expectandæ sunt.

59.

AN vero alteram dūtaxat partem vomica occupet, ex his ferè notis perpendere licet, si alterū latus dolore cruciatur, & altero calidus est, atq; vbi in partē sanam aliquis decubuit, interrogatus, onerari eam, veluti ex pondere aliquo, respondeat. quibus cognitis, in eo latere suppurationem esse coniicies, cui grauitas incūbit.

60. 61.

SVppuratos omnes hoc pacto deprehendes. Si febris non dimittit, eaq; interdiu leuior est, noctu increscit, multus sudor oritur, tussiendi cupiditas est, sed nihil penè excreatur, oculi cauantur, malæ rubent, vngues in manibus curuantur, digiti, maximeq; summi calent pedes tumēt, cibī fastidiū est, pustulæ toto corpore nascuntur. Atq; diuturnarū vomicarum

hæ ſunt notæ, qbus haud dubia fides adhibēda eſt. Sed quę breuiori ſpatio duraturę ſunt, ex iiſdē notis deprehenduntur, atq; ex his quoq; quę in principio apparere ſolēt, ſimul ſi ſpūs maiori cum difficultate trahitur.

62.

CEleriorē, tardiorē ve eruptionem ita cōiicies. Si ꝓtinus ab initio tuſſis fuit, & ſpūs difficultas, atque ſputi excretio, vomica intra vigeſimū diē erūpet. Si vero nō adeò vehemēs fuerit dolor, cæteraq; illi ex proportione rñdeant, ſerius ruptura ſequetur. quo tēpore & dolorē & ſpirandi difficultatem minui, atq; ſputi ſcreatū increſcere, ante videlicet puris eruptionē, neceſſe eſt.

63.

CÆterum à periculo tuti ſunt, quibus eodem die quo eruptio facta eſt, febris cōquieuit, deſierūtq; vrgere cibi faſtidiū & ſitis, aluus exigua quędam & figurata reddit, pus album, leue, ſimplici colore, & ſine pituita eſt, atq; ſine dolore leui tuſſicula eiicitur. Hæ ſunt notæ perquā ſalubres, quę ce-

leriter liberant hominē. ab his securitatem quoq; pol icētur, quę ad ipsas proxim e accedunt. At certū periculū est, si febris non quieuit, aut post quietem repetit. Item si sitis est, si cibi fastidium, si venter liquidus, si pus est liuidum aut pallidū, si nihil nisi spumantem pituitā ęger screat. Itaque seruari non possunt, quibus oīa hæc accidūt. quibus vero non oīa, alii quidem moriuntur, alii vero post longa tempoꝝ interualla sani euadunt. Ex omnibus autē iam ꝓpositis cōiecturis, reliquarum quoq; affectionum signa considerare oportet.

DE ABSCESSIBVS.

64.

QVibus ob laborantē pulmonē, abscessus secundū aures oriuntur, & in partibus infernis suppurantur, ac fistulam efficiunt, iis secunda valetudo contingere solet.

65.

IN quibus huiuscemodi notas obseruabis. Si febris non cōquiescit, neq;

dolor mitigatur, si sputum non pro ratione eiicitur, si aluus, neque biliosa, neque liquida, neque sincera excernit, si in vrina admodũ exigua, multa resident, ac reliqua quoque signa omnia securitatem polliceatur, eiusmodi abscessus expectandi sunt.

66.

QVi aliis quidem eueniunt in partibus infernis, si quodam modo inflãmata fuerint præcordia: aliis vero in superioribus, si præcordia neque tumore, neque dolore infestantur, sed accedit pro tempore spiritus difficultas, quæ deinde sine vlla euidenti occasione quiescit.

67.

IN vehementi periculosáque peripneumonia non inutiliter in cruribus nascuntur abscessus: nec potest aliud quicquam melius accidere, prȩsertim si mutato sputo sic appareãt. Siue enim tumor, siue dolor sentitur, sputo cruento in pus iã conuerso excretóque, tutissimum id indicium est. Nam & æger à periculo liberatur, & abscessus doloris expers, celerrime cõ

quiescit. At si neq; sputum probe excernitur, nihilq; residet in vrina quod bonam spem fulcire videatur, ne ex eo arriculo claudicet æger, vel plurima certe sustineat negocia, periculum est.

68.

SI vero subsederunt abscessus, sed rursus repetunt, non prodeunte sputo, ac perseuerante febre, grauis timor est, ne delirium subeat æger, aut moriatur.

69.

SAnè ex suppuratiõibus, quas pulmonum morbi concitarunt, ferè senes moriuntur: ex cæteris, iuniores.

70.

LVmborum, inferiorumque partium dolores, quibus febris quoque accedit, si ad septum trãsuersum transeunt, relictis inferioribus: admodum perniciosi sunt. animaduertenda tamen reliqua quoq; indicia sunt. si enim periculosum aliquod signum accesserit, hominem à spe deponit. Quum vruntur suppurati, si pus fluxerit purum, candidum, & sine fœtore, seruãtur. si vero subcruentũ, cœno-

ſumque, pereunt. Si ad ſeptum tranſ-
uerſum, malum aſcenderit, nullo re-
liquorum ſignorum periculum oſten
dente, futuræ ſuppurationis indubi-
tata ſpes eſt.

EX VESICA NOTÆ.

71.

VEſica dura, dolens, graue periculum, letaléque comminatur. idque ſi continua quoque febris acceſſerit. nã veſicæ dolores, validã necãdi vim ob tinẽt. quo tẽpore aluus etiã nihil reddit, niſi dura quædã, ac ne ea quidẽ, niſi cogatur. 72.

AT vero vrina purulenta procedẽs in qua reſidet albũ & leue, metũ detrahit. 73.

QVòd ſi ab huiuſmodi vrina dolor leuatus nõ ẽ, neq; veſica mollior effecta eſt, neq; febris conqieuit, laborãtẽ p primos morbi circuitus moriturũ, denũciãdũ eſt.

74.

ID vero pueris à ſeptimo anno, ad decimumquintum præcipue accidere ſolet.

¶ HIPPOCRATIS COI PRÆSAGIORVM LIber tertius, interp̄te Gulielmo Copo.

DE FEBRIBVS



1\. Ebres, siue sanus ab ipsis qui euadat, siue pereat, æquali dierũ numero finiũtur.

2\. 3.

VT enim saluberrimæ febres, quæ videlicet tutissimis fulciuntur notis, die quarto vel antea quiescere solent, ita pessimæ quæque, & quibus periculosissima adsunt signa, die quarto, vel citius interficiunt. 4. 5.

PRimus itaq; earũ insultus ita finitur, alter in septimũ diẽ p̄ducitur tertius ĩ vndecimũ, quartus ĩ decimũ quartũ, q̄ntus ĩ decimũseptimũ, sext⁹ in vigesimũ. Igitur accessiões ipsæ ex acutissimis morbis p quatuor ĩ vigĩti auctæ finiũtur. verũ huiuscemodi supputatio per dies integros nimirũ fieri nõ potest, quippe quũ nec anus, nec mẽses ipsi, ĩtegris numerẽtur diebus.

6.

DEinde eadem ratione, atque additione, primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad ſexaginta dies pueniet.

7. 8.

SEd huiuſmodi morbos, qui longiori ſpacio finiri debent, ab initio perquàm difficile eſt diſcernere, quòd ſimillima ſint eorũ principia. aĩaduertere tamen à prima die oportet, atque ſingulos dierum quaterniones obſeruare: ſic enim haud obſcure ſcies, quò ſe conuerſurus ſit morbus. Ac quartanæ quoque conditio hunc ſeruat ordinem

9. 10.

MOrbi autem tempore breuiſſimo finem attingentes, facilius dignoſcuntur, vtpote qui maximis protinus ab initio diſtinguntur differentiis. ſiquidem ad ſanitatẽ tendẽtes, facile ſpirãt, nõ dolẽt, dormiunt noctu, ac reliqua quoq; ſigna, maximã eis ſecuritatẽ pollicentur. Perituri vero difficulter ſpirãt, delirãt, vigilãt, cæteraque id genus peſſima ſigna eis accedunt.

11. 12.

Vtigitur

VT igitur (his sic se habẽtibus) morbos ad iudiciũ tendentes cõiectura cõsequi oportet, & ex tẽpore, & ex singulis additionibus, ita eadẽ quoq; ratione in mulieribus, morborũ iudicia, à partu numeranda sunt.

13.

CApitis in febre vehemẽtes, perpetuiq; dolores accedente letaliũ notarum aliqua, valde sunt perniciosi. si vero nullo tali signo apparẽte, diem vigesimũ dolor excesserit, neq; febris cõquiescat, ex naribus sanguinis fluorem, aut in partibus inferioribus abscessum expectabimus. Similiter dolori etiã recenti, sanguinis ꝓfusio ex naribus, aut suppuratio superuenire solet, præcipue si dolor, & tẽpora, & frontẽ infestauerit.

14.

MAxime vero sanguinis fluxio expectanda est in iuuenibus, q qntum & trigesimũ annũ nõdum superauerunt. nã maioribus natu, suppuratio ferè oritur.

15. 16.

AVris dolor acutus cũ febre nõ intermittẽte, vehemẽtiq;, graue periculũ minatur. nã & mentẽ turbat, &

hominem rapit. Quum igitur anceps ſit huius rei exitus, à primo protinus die omnibus ſignis accurate animum adhibere oportet. Nam ex eo caſu iuniores quidem intra ſeptimũ diem, ſeniores vero multo tardius moriuntur. quippe qui non æque magnas febres experiuntur, neq; adeò inſaniũt. proinde ſuſtinere poſſunt donec ſuppuretur affectus. Quòd ſi morbus in hac ætate reuertatur, magna ex parte interficere ſolet. Sed iuniores, antea quã auris ſuppuretur, pereunt: niſi pus candidũ ab ea defluens, ſecuritatem polliceatur. præſertim vbi ſalutarium quoq; ſignorũ aliquod apparet.

17.

NEque leuiter terreri debemus vbi febricitanti fauces exulcerantur: cui ſi aliud quoq; ex magnis quæ ſupra declarauimus acceſſerit, in periculo hoĩem verſari, denunciandũ eſt.

DE ANGINA.

18.

ANgina, periculoſiſſima eſt, celeriterq; enecat, ſi neq; in faucibus, neq; in ceruice qcq;

apparet, si dolor vehemens est, si vix spiritus trahitur: etenim eodẽ die iugulat, licet interdũ vsq; ad secũdum, aut tertium, aut etiam quartum protrahatur.

19.

QVæ vero in reliquis quidẽ non minore dolore afficit, in faucibus vero tumorẽ ruborẽq; excitat, superiori non minus periculosa est, sed longius spacium habebit, præcipue si vehemens fuerit rubor.

20.

SEd tum præcipue malũ prolongatur, quũ non solum fauces, sed ceruicem quoq; rubor occupat. maxime vero potest ab ea secũda valetudo cõtingere, si rubor simul & ceruicem & pectus cõprehendat, neq; ad interna reuertatur erysipelas.

21.

QVum vero deletur erysipelas, sed non in decretoriis diebus, neque in exteriores partes cõuertitur tumor, neq; pus screat æger, sed leuis & à dolore ĩmunis videtur, id aut mortem significat, aut dolorẽ reuersum.

22.

TVtius est & tumorẽ & suborẽ in externas maxim e ptes conuerti. si vero ad pulmonẽ conuersio fiat, dementiã excitabit, quãquã nonnulli sic affecti, magna ex parte suppurãtur.

23.

CVrguliosi cum rubore tumescit, sine periculo præcidi non potest, etenim inflãmatio, sanguinisq; profusio ei accedit. Proinde satius est aliis quibusdã auxiliis vti, quibus extenuari possit. Quũ vero pallidior efficitur, vua nominari solet: quòd si tum ima eius pars crassa & rotũda, summa vero tenuis videatur, intrepide præcidi debet. Satius tamen fuerit, antea quã manus adhibeatur, aluum vacuare, si tempus id ita pmittat, vt interim suffocatio hominẽ non præoccupet.

24.

QVibus febres, neq; salutaribus notis apparentibus, neque in diebus decretoriis cõquiescũt, ii reuersionem timere debent.

25. 26.

IN longa febre, ex qua tamẽ æger liberari põt, si neq; ob inflãmationẽ,

neq; ob aliam vllam manifestã cãm, dolor infestat, aut tumidũ, aut dolorosum in articulis abscessum expectare oportet, pręcipue in imis partibus: maxime vero in his ætatibus quæ triginta annos non excesserũt, eiusmodi abscessus nasci cõsueuerunt, idq; in tempore breuiori.

27. 28.

NOn tamẽ expectandus est abscessus, donec vigesimã diem febris pręterierit. is natu maioribus raro accidit, q̃uis longo spacio duret febris.

29.

SOlet etiam continuis febribus abscessus supuenire. Interpellata vero febris, eadẽq; errabunda, in quartanã mutabitur, pręcipue si autũnus proximus est.

30.

ATq; vt abscessus oriũtur in his qui triginta annis minores sunt, ita quartana eos qui trigesimũ annũ aut agunt aut excesserunt, præcipue corripit.

31.

IGitur scire licet, abscessus hyeme magis accidere, serius finiri, sed nõ facile reuerti.

32.

SI cuipiam in nõ letali febre, caput dolet, aut ante oculos obscura q̃dam obseruãtur, aut cordis dolor accidit, is bilem euomet. Si vero horruerit & inferiores præcordiorum partes frigore afficiantur, citius ad vomitionem properabit quòd si eo tempore quidpiam aut biberit, aut ederit, id quoque quãcelerrime euomet.

33. 34.

QVibus itaque à primo ꝓtinus die dolor supuenerit, iis quarto & quinto die ingrauescit, mox in septimo liberantur. Sunt nõ pauci qui in tertio die dolere incipiunt, quinto maxime molestantur, deinde nono vel vndecimo tuti euadũt. Sed quos dolor quinto die vexare cœperit, reliqua ex proportione respondeant, iis decimoquarto die finitur morbus. Hæc tum viris, tum mulieribus, sed in tertianis maxime contingere solent. Iunioribus vero cum in is ipsis, tum præcipue in continuis febribus, atque tertianis synceris.

35.

ITaq; quibus in huiuſcemodi febre caput dolet, oculi vero obſcuras illas imagines non vident, ſed caligatione hebetantur, aut ſplendentia q̃dam cernere ſe putant, ac præcordis dolore, in alterutra parte præcordia tenduntur, ac neq; dolor infeſtat, neq; inflammatio, iis pro vomitu ſanguis è naribus profluet, idque præcipue iunioribus accidit. ſi vero trigeſimum annum vel agunt, vel ſuperauerunt, vomitum potius quã ſanguinis fluorem expectabimus. 36.

SI pueris in acuta febre aluus nihil deiicit, neque ſomnus accedit, ſed terrentur, flent, color mutatur, vt modo pallidus, modo liuidus, aut ruber efficiatur, neruorum diſtentio timeri debet, vtpote quæ pueros qui ſeptimum annum nondum exceſſerunt, quàm promptiſſime inuadit. Grandiuſculos vero pueros, atque adultos, non adeó in febribus neruorum diſtentio prehendit, niſi vehementis ad modum malitiæ ſignum aliquod aſfuerit, qualia videlicet in phreneticis videntur.

37.

ERgo ex omnibus signis, vt de singulis morbis singula præscripta sunt, & morituros, & eos qui ad bonam valetudinē redire poterunt, siue pueri sint, siue natu maiores, sic conii cere oportet. 38.

ATq; hæc de acutis morbis, atq; de his qui ab eis nascuntnr, dixisse ve lim. 39. 40.

CÆterum si recte discernere volueris, & morituros, & eos qui à peri culo tuti sunt, & quis morbus longo, & quis breuiori spacio finietur, disce omnium signorū inter se collatorum vires (vt supra demōstrauimus) accurate iudicare, tum aliorū, tum p̄cipue vrinæ, ac sputi, quum scilicet simul & pus & bilē æger screat. itē supuenientium quoq; morborū impetū, ac tem porū anni conditionē accurate obser uare oportet. 41. 42.

POstremo quod ad coniecturas, reliquaq; signa pertinet, haudquaq̄ vel ignorandum, vel negligēdum est, quòd quouis anno, & quouis anni tē pore, mala signa timorem, vtilia ve-

ro bonam ſpem denuncient. Etenim in Lybia, & Delo, atq; Scythia, propoſita iam ſigna, vera eſſe comprobauimus.

43.

VNde ſcire licet, in iiſdẽ terris multo plura quã ſupra propoſuimus, illum facilc aſſequi poſſe, qui ea recte & iudicare & perpendere didicerit.

44.

SEd nullius morbi hic nõ deſcripti nomen deſyderandum eſt. nã omnes qui in dictis temporum ſpaciis morbi finiuntur, iiſdem quoq; indiciis diſcernuntur.

HIPPOCRATIS COI PRÆSAGIORVM TRIVM LIBRORVM FINIS.

HIPPOCRATES DE NATVRA HOMInis, ab Andrea Brentio Patauino conuersus.



Vi consueuit audire eos qui de humana natura altius q̃ ad medendi facultatem pertinet, disputant, huius certe oratio, vt ab aliis audiatur, apta non est. Neque enim prorsus dixerim hominem aerem esse aut ignem, aut aquam, aut terram, aut aliquid aliud: quod minime vnum in homine inesse manifesto apparet. Sed id quibus placet, dicere permitto. Atqui mihi quidem nõ videntur huiuscemodi hoĩes recte sentire. Nam cum idem sentiant, idemque concludant, loquuntur tamen diuersa. Aiunt enim vnum quid esse quod est, ac id esse vnum & omne: verbis autem discrepant. Quoniam

id vnum & omne eorum alius asserit esse ſpiritum, alius colorem, alius liquidum, alius aridum. Tum ſua quiſque ratione concludunt argumenta, ac teſtimonia & indicia afferunt, quæ nullius ſunt penitus momenti. Quod vero eodem ſunt ſenſu, verbis autem diſſentiunt: ea re patet eos ignorare quæ profitentur. Quod quidem his præcipue perſpicere licuit, qui illorum contentionibus interfuerint. Nam cum iidem illi boni viri eodem in conſpectu atque conſeſſu auditorum inter ſe contendant, nunquam tamen in eodem ſermone vnus idemque vir tres deinceps alios conuicit. ſed modo hic ſuperior eſt, modo ille, cuicunque præſertim fuerit lingua magis fluxa, magiſque in turbam idonea. Qui autem recte ſentire putans aliquid de rebus pollicetur, is meritò rationes ſuas probabiles atque inuictas ſemper affert. ſiquidem vera intelligit & recte demonſtrat. At vero iſti quidem videntur imprudentia ſua non tam iu verbis, dum diſpu-

tant,errare,quàm etiam Melissi sen-
tentiam sequi atque probare. sed de
his hactenus. Etiã ex medicis quidã
ho ĩem sanguine tantũ,quidã bile q-
dam pituita constare dicunt: ipsique
omnes eandem subiiciunt conclusio-
nem. Aiunt enim vnum quid esse,cuĩ
nomen ad illorum cuiusque libidi-
nem imponitur. porrò id vnum for-
mam & vim mutare à calore, vel fri-
gore coactum: mox dulce aut ama-
rum,aut album, aut nigrũ, aut aliud
quid diuersum fieri. Verum hæc non
sic habere mihi videntur. Nam si ho-
mo vna re constaret, nullo vnquam
morbi genere afficeretur. neq; enim
esset vnde doleret, cum vnum tantũ-
modo foret. Quòd si afflictaretur,
vna vtique curatio necessario foret.
Contrà,nunc plures existũt: quia plu-
ra in corpore sunt, quæ cum plus iu-
sto inter se calfiunt, aut refrigeran-
tur,aut siccescũt,aut humefiunt,mor
bos pariunt. ex quo multa habentur
ægrotationum genera & multę quo-
que illarum curationes. Cæterum,
mea quidem opinione, qui hominẽ

ſanguinem & nullam aliam rem eſſe cenſet, is deberet demonſtrare eum non mutare formam aut variari, aut ſaltem aliquod anni tempus: aut hominis ætatem oſtendere, qua ſanguis ſolus appareret eſſe in homine. veriſimile nanque fore aliquod tempus, quo id vnum in ſeipſo eſſet. Hæc a me dicta etiã in eos conueniunt, qui bili ſiue pituitæ tantum tribuunt. Ex quibus vero hominem ego conſtare dixerim, ea & ſecundum legem, & ſecundum naturam, cum & vniuſcuiuſque ætati tam iuuenili, quàm ſenili, tum tempori tam calido quàm frigido conuenire demonſtrabo: atque ſigna etiam & argumenta afferam, eáque aperiam, quibus neceſſario quodque augetur aboleturue in corpore. Primum generatio ab vno fieri nequit. Quonam enim pacto vnum quid generare poſſet, niſi quid aliud admiſceretur? Tum nec quæ miſcentur, generarent: niſi eſſent eiuſdem generis, eandemque haberent facultatem. Rurſus nec generatio quidem nobis perfecta foret, niſi cali-

dum & frigidum, ſiccum & humidũ inuicem temperate & pati modo ſe haberent: aliter inanis eſſet ſi alterutrum altero valentius infirmius ve foret. Proinde qui veriſimile eſt vt aliquid ab vno generetur, cum id ne à pluribus quidem fieri poſſit, niſi mutuo temperamento mixtis: Cum igitur natura eiuſcemod ſit cum omniũ reliquarum rerum, tum etiam hominis: neceſſe eſt hominem non vna re conſtare, ſed vnumquodque eorum, quæ generationi ſuppeditauerint, talem quampiam vim in corpore poſſidere, qualem contribuerit. Rurſus homine animam agente ſingula in propriam naturam diſcedunt, vdum inquam in vdum, ſiccum in ſiccum, feruidum in feruidum, algidum in algidum. Nempe talis eſt tum animantium, tum cæterarum omnium rerum natura. omniaque ſic orta, occidunt ſimiliter. Ex his enim quæ prædiximus omnibus, cuiuſque natura conſiſtit, deſinitque pari ratione: cum id in ſeipſum vnde concreuerit, ſe receperit. Corpus autem humanum ha

bet in se sanguuiuem & pituitam, & bilem duplicem, tum flauam tum atram, ex quibus & consistit & ęgrotat, & valet. Valet quidem præcipue cum ea inter se vim & copiam mediocriter temperatas maximeque ꝑmixtas habuerint. Contrà, laborat cum eorum aliquid est plus minus ve iusto, siue cum in corpore secretum est, neque cum aliis confusum. Quod quidem non modo locum, ex quo abscesserit, afficit: verum etiam ad quem abscesserit, exercet, propter nimiam & exuperantem copiam. Vtique si quid citra superfluitatem foras eruperit, negocium præbet propter exinanitionem similiter intus si vacue fit migrat ve, aut ab aliis excernitur, duplicem molestiam præbeat, necesse est, quemadmodū dictum fuit, videlicet vnde abscesserit, ac vbi exuperat. Quòd vero dixi me quibuscunque hominem constare statuerim, ea semper esse demonstraturum secundum institutum & naturam, idcirco aio sanguinem esse & pituitam, & bilem tum fluuam, tum

atram. Atq; horum nomina primū quidem instituto distincta esse dico, quòd nulli eorum idem nomen inditum sit: deinde secundum naturam formas discrepare, miniméque pituitam similem esse sanguini, aut sanguinem bili, aut bilem pituitæ. Quonam enim pacto inter se similia esse possunt, cum neque ad visum, neque ad tactum similia esse cognoscantur? Neque enim pariter calida, siue frigida, siu e sicca, siue humida sunt. Ergo quando tantum inter se & forma & vi differunt necesse est ea non esse vnum: siquidem neque ignis & aqua idem sunt. Quòd ea omnia vnum non sint, sed ex ipsis quodque propriam vim atque naturam trahant, vel hac vna re tibi maxime constare posset. quia pharmaco quod pituitam siue bilē aut flauam, aut atrā cit, dato, pituita siue bilis flaua aut atra tibi euomitur. Itē aliqua corporis ps vulnere affecta, tibi sanguinē emittet. Atq; oīa vsu hæc tibi veniēt tā interdiu q̄ noctu, tā hyeme qnā æstate, nullo tēporis spacio ītermisso. donec ho-

mo spiritū

mo ſpiritum accipere reddereq́ po-
teſt.poterit autem,donec aliquo iſto
rũ priuetur cognatorũ. Quæ quis ne-
garet eſſe cõgenita: cũ luce clarius ap
pareat hominem dum inter viuos a-
git,cum ea omnia in ſe ſemper habe
re quę nunc dico atq; demõſtro , tum
etiam natum altumq; ab homine ea
dem illa omnia habente. Qui autem
vnum quid eſſe hominem putant,hi
mihi propterea in hanc opinionem
venire vidẽtur,ꝙ ex iis q epoto phar-
maco inter purgationes animam ef-
flarũt:quoſdam bilem,quoſdã pituĩ
tam euomentes conſpicati, putarunt
hominem quoduis illud eſſe,quod p
purgamenta morientem eiicere con
ſpexiſſent. Eadem nituntur ratione
qui hominem dicunt eſſe ſanguinẽ,
quoniam cruorem, qui ſibi ſub con-
ſpectum ex iugulatis hominibus ma
nans ſubiicitur, animum in homine
eſſe putarunt.hæc ſunt quibus omnes
iſti vtuntur in ſuis ſermonibus, argu-
menta.Verum qui bilem ſolum per
purgationem eiecerit , adhuc mor-
tuus eſt nemo,ſed ſumpto pharmaco

quod bili mouendæ est, primum bilem, mox pituitam, porro alteram bilem atram & quidem per vim, tũ demum moribundus sanguinẽ euomit purum: quod idem contingit his qui sumunt potiones pituitam mouentes, Primum enim pituitam, deinde bilem flauam, ex hac atram, postremo sanguinem purum euomunt, atque è vestigio finiunt vitam. Nam pharmacum cum corpus intrarit, primo id quod omnium maxime sibi secundum naturam cognatum atque simile est, agit: exinde reliqua trahit & purgat. quemadmodum stirpes & semina terram ingressæ, sibi quod ex ipsarum natura est trahunt vel acre, vel amarum, vel dulce, vel salsum, vel aliud quid diuersum, in primisque ex eo plurimum, quod sibi naturali propinquitate maxime coniunctum est, arripiendo, tum cætera deinceps attrahendo. Talem quoq; modũ pharmaca seruant quæ bilem mouent, primum meracissimam purgant, deinde mistam. Item pituitæ pharmaca primũ meraciorẽ pituitã ciunt, post

confusam. Iugulatis sanguis fluit primo quidẽ feruentissimus atq; perquã rubidus, mox magis pituitosus magisq; biliosus. Hyeme crescit in homine pituita. quòd ipsa præcipue ex oĩbus quæ in corpore sunt, natura sua, eo tẽpore frigidissima, est argumẽto. quia si pituitã, bilẽ, sanguinẽ tangere libuerit, pituitã profecto facile oĩum algidissimã reperies: tamẽ & si lẽtissima sit ac non nisi summa cũ violentia secũdũ atrã bilẽ citetur. Quę enim per vim veniunt, ea propter violentiã feruẽtiora reddũtur. Sed tamẽ pręhis oĩbus pituita suapte natura multo frigidissima apparet. Quod autẽ hyems corpus pituita ĩpleat, tibi patebit, cũ ex sputo & mucco ac pituita nasi, quę hyeme supra modum fluentia emunguntur, tum vero ex cæteris morbis pituitosis, præsertimque tumoribus qui præcipue eo tempore maxime albicant. Vere autem pituita in corpore valentissima inest: sed sanguis crescit, suscipitque indies maius incrementum. tunc enim frigora remittuntur & im-

bres relaxantur, ex quibus & dierum quoque tempore ſanguis augetur: cu ius naturæ id anni tempus, quoniã humidum eſt & calidum, maxime cõ ſimile exiſtit, indicio ꝙ homines ver no æſtiuoq; tempore potiſſimum tor minibus corripiuntur, ac ſupra mo dum caleſcunt & rubent atq; ſanguis é naribus fluit. æſtate vero adhuc ſan guis cum viget, ſed bilis effertur accre ſcitque & in autumnum pertinet. In autumno ſanguinis parum eſt, quia il lius naturæ id temporis contrarium habetur. Bilis & æſtiuo & autumna li tempore imperium corporis obti net, argumento, ꝙ homines & ſpon te ſua & per purgationum potiones bilem bilioſiſſimaſq; res euomũt vel excernunt. quod item ex febribus & hominũ coloribus patet. Pituita eſti uo tempore longe infirmiſſima eſt, quòd ei tempus ob calores ſiccitateſ que vehementer aduerſatur. Autum no, ſanguinis quota pars eſt in homi ne: quoniam id tempus ſiccum eſt, & hominem iam refrigerare ĩcipit. Sed atra tũc bilis, quàm plurima eſt & po

tentiſſima, quæ inſtante vero hyeme decreſcit imminuiturque refrigerata. Rurſus pituita viciſſim augetur, tum ab imbribus numeroſioribus, tum à noctibus longioribus. Profecto hæc omnia ſemper habet corpus humanum. quæ certe nõ negauerim pro tẽporis circũſiſtentis qualitate, ac propria cuiuſq; natura, ſeparatim modo maiora, modo minora fieri. Vt annus omnis omnium iſtarũ rerum caliditatis ſcilicet & frigiditatis & ſiccitatis & humiditatis particeps eſt. neque enim quæpiam illarum vel quota temporis parte conſiſteret, ſine reliquarum omnium quæ in hoc mundo ſunt, conſortio. imò ſi qua deficeret, omnes ſimul abolerentur: quippe quæ ab eadem ſunt conſtitutę neceſſitate, inuicemq; aluntur & ſubſtentantur. Simili modo homo, ſi quid eorũ ipſi deficeret quæ congenita ſunt, nõ amplius vitã degere poſſet. In anno, modo hyems maxime, modo ver, modo ęſtas, modo autumnus viget. haud aliter in homine interdum pituita dominatur, interdum ſanguis,

interdum bilis,tum flaua , tum atra, euidentiore quoque arguméto : quia si quater in anno eidem homini vnã eiusdem generis potionem dederis, hyeme tibi euomentur pituitosissima, vere humidissima, æstate biliosissima, autumno nigerrima . Cum igitur hęc ita se habeant, oportet ægrotationes quę hyeme incrementum suscipiunt, æstate desinere : & econtra, quæ ęstate creuerint, hyeme terminari, nisi ĩtra dierum circuitum , de quo postea loquemur, absoluãtur. Vernorum morborum liberatio in autumnum expectanda est. Autumnales autem, veris tempore liberentur necesse est. Hæc vero quisquis stata tempora supauerit, hunc fore annuum scire oportet. Sic medicum morbis mederi oportet, habita bene cuiusq; quod in corpore pro tempore & eius natura viget, ratione. In primisque prętererea non ignorare debet morbos qui ex impletione proficiscuntur, exinanitione curari: & ediuerso, qui euacuefactione proueniũt, sanari saturitate. Qui à labore, hos quiete: qui ex ocio,

eos exercitatione euinci. In summa, oportet medicũ scire obsistere instãtibus & morbis & formis & temporibus & ætatibus, & cõtenta laxare, & laxata contendere. tali nanq; modo morbi vitium facillime desistere poterit. Et hoc mihi sanatio esse videtur.

Obseruationes morborum.

MOrbi alii á victus genere, alii á spiritu quẽ trahẽtes viuimus, proueniunt. Sed de vtrisq; hoc modo disceptari atque diiudicari oportet. Cum vna ægritudine complures eodẽ hoĩes tẽpore corripiũtur, causam ad id reiicere debemus, quod maxime cõe est, quoq; oẽs vtimur. id autẽ spiritus est quẽ accipimus reddimusq;. tunc enim victum nostrum nequaquã in causa esse manifesto cõstat, cũ morbus omnes pariter attingit, tã iuniores q̃ seniores, tam fœminas quám mares, tam temulentos quám abstemios, tã qui ordeaceum quám qui triticeum in cibatu sumunt panem, tam qui parum quám qui multum laborant. Ergo non victus rationi in causa po-

nendum eſt:cum homines quoquo ve ſcendi modo vtentes in eandem inci- dunt ægrotationem. Cum vero eodẽ tempore diuerſi morbi gignuntur, ſi- ne dubio victus cuiuſq; culpa ẽ. Opor- tet itaq; remedia adhibere cum mor bi occaſione, quemadmodum a no- bis alibi dictum eſt, repugnando, tũ etiam victus genera mutando. quan- doquidem cibos quibus homo vti ſo litus eſt, nequaq̃ aptos eſſe liquet, vel vniuerſos vel plęroſq;, vel vnum eorũ quẽpiam. quod cum didiceris inſpe- cta tamẽ & conſiderata, vt à me iam dudum dictum eſt, hominis natura, ætate, forma, & anni tẽpore, & mor- bi genere: debes victum mutare & re media facere, modo demẽdo, modo addendo: cum hoc vt omnem cura- tionem tuã ſiue victum ad cuiuſq; eta tis habitum tempora, formas, mor- boſq; dirigas. Atqui ſi morbus vnus omnes promiſcue & vulgo infeſtat, clarum eſt non victum, ſed quem tra- himus ſpiritum, in cauſa eſſe. quippe qui morbidam plane quandã excre- tionem habeat, Perpetuum igitur eſt

homines per id temporis hæc admoneri, ſcilicet ne victum mutent q̃ morbi cauſa nõ exiſtat: proſpiciant vt corpus ſit quàm ſolidiſſimum atque attenuatiſſimum cibis potibuſq; quibus vti conſueuerint, ſenſim demendo. qa ſi feſtinantius victus mutaretur, à mutatione periculum foret aliqd in corpore innouandi. Quare ſolito victu vtendum eſt, cum noxæ cauſa ſit nulla hominis. Inſuper vt q̃ pauciſſimus ſpiritus corpus ĩgrediatur, iſq; vt maxime peregrinus ſit prouidendũ, tum loca in quibus morbus graſſatur, quoad fieri poteſt, mutando, tum corpora attenuando. ſic enim minime multo ac denſo homines egeant ſpiritu. Morbi qui à corporis membrorum validiſſimo profiſcuntur, grauiſſimi ſunt: atq; ſi ibi vbi cœpti ſunt, manſerint, neceſſe eſt validiſſimo membrorũ laborãte totum corpus laborare. Sin autem ab ĩbecillioribus ſe in validiſſima inſinuauerint, facilius abſoluuntur. quia vi facile vindicantur quę influunt.

De venarum natura.

VEnæ corporis craſſiores ad hunc modum oriuntur, quatuor paria ſunt. Primum qđ ab occipite ortum, tendit p ceruicem ſumma perreptans latera ſpinæ, ad clunes & crura: deinde per tibias & malleolos exteriores ad pedes. quam ob rem doloribus dorſi & coxarum, de poplitibus malleis ve exteris ſanguinē mitti ſolitum eſt. Secundum venarum par, de capite circum aures per ceruicem, iugulariæ dictæ ſunt, intus propter ſpinam & lũbos ad teſtes & fœmora perfertur, atque per poplites & tibias propter interiores malleolos ad pedes. Quapropter doloribus lumborum & teſtium ſanguinem poplitibus aut malleolis mittimus interioribus. Tertiũ par venarũ, à tēporibus per ceruicem ſub ſcapulis porrigitur ad pulmones & altera de parte dextra in ſiniſtram pergēs mãmam ſubit, & ad lienē renemq; deſcendit: altera de ſiniſtra in dextrã procedens à pulmonibus mã mam ſubit, mox iecur petit & renē: vtraque poſtremo ad podicem deſi-

nit. Quartum par, ortum à ſincipite, de ſede oculorum per ceruices ad humerorũ clauiculas deuenit, vnde per lacertos ad agilem, mox per cubitos ad volam & digitos. vnde intus remeans ad alas propaginem mittit, quæ ſummas coſtas perreptat, dum altera ad lienem, altera ad iecur perueniat. deinde vtraque eminens per ventrem ad genitale deſinit. ita venæ craſſiores habent. Procedunt quoque à ventriculo per corpus aliæ permultæ & variæ venulæ ramulorum modo, per quas alimentum corpori tranſmittitur, quod à craſſis venis & interioribus & extimis ferunt ventriculo, & reliquo corpori ſibique inuicem ſubminiſtrant, internæ: ſcilicet externis, & externæ internis. Quam ob rem has mittendi ſanguinis rationes ſeruare aptiſſimũ eſt. operæque preciũ eſt, vt cultellus q̃ longiſſime à loco vbi dolor eſſe & ſanguis cogi di dicit, adigatur. quia tali modo haud magna repente mutatio fieret & cõſuetudo remoueretur eódẽ amplius coeũdi, oĩbus q aut febre ĩtegri mul-

tum puris excreant, aut dolore vacui sedimentum vrinæ admodum purulentum, aut stercora cruenta, sicut in torminibus, & diuturna habent: qualia esse solent iuuenibus quinq; & triginta annos natis, & hominibus etiã grandiore æuo: his omnibus eadem illa res morbi causa existit. Qua propter eos exercitationibus atque corporis laboribus deditos esse oportet, ac ne operariorum quidem labores in adolescentia subterfugere, deinde laboribus remissis corpus implendũ est molli carne & à priore multũ differẽte, ita vt adeptũ & aduenticium corpus à supiore & vernaculo discriminis habeat multum. Si quis igitur ita affecti quãdoq; in ægrotationem inciderint, quã primum euadunt. sed post à morbo, subinde tẽporis curriculo corpus liquatur, & ad saniei effigiem per venas, quæ latissimæ & p. uiæ sunt, diffluit. Quòd si ad inferiorẽ ventriculum cite ruit, tale ferme quale intus erat emittitur per meatus secessum. quippe quod vtpote via decliui & lubrica, haud diu in intestino

detineatur. Quibus in pectus destilla-
rit, suppuratione infestâtur: quia diu-
tius in pectore sedens cum veluti ac-
cliui expurgatione sursum versus dif-
ficulter eiiciatur: marcescit & suppu-
rat. Si ad vesicam eruperit, à loci ca-
lore calefit, album redditur, secerni-
tur ac rarefit, rarefactũq; desuper flui
tat, pars crassa subsidet, quæ pus di-
citur. ideóq; pueris calculi concrescũt,
ob eius loci & reliqui corporis calidi
tatem. quod vsu viris nequaquam ve
nit, propter corporis frigiditatẽ. Nõ
alienum est scire, hominẽ prima die
supra quã possit, esse calidissimum,
nouissima autem frigidissimum. ne-
cesse enim est calere corpus quod ado
lescit, & ad vires incrementũque ten-
dit, ediuerso illud supra modum, fri-
gere, quod cœperit aboleri & tanquã
maturum ac victum atque caducum
in ruinnam præceps festinare. Atque
hac ratione homo prima die quanto
maximum suscipiat incrementũ, eo
magis calescit. sic extrema quanto,
plurimum vitalis roboris detrahitur,
tanto frigidiorem esse necesse est. Ex

illis autem qui prædicto modo affe-
cti ſunt, plerique ſponte ſua, ſi tempe
ſtiue, ſcilicet quinto & quadrageſimo
die liquari cœperint, ſaneſcũt. Sin au-
tem eam dierum metam præterie-
rint, per ſe annum conualeſcunt, niſi
vero quapiam alia re homo offen-
datur. Morbos qui ſenſim oriũtur &
quorum cauſæ cognitu faci les exi ſtũt
tutiſſimos appellare licet. Quare præ-
ſentiſſima cura tio, ſi quãprimũ mor-
bi cauſæ occurratur. qua ſublata, mor
bus abſque negocio di ſcedit. Quibus
in vrina ad arenularum ſimilitudinẽ
aliquid ſubſidit, ſeu pori, id eſt tophi
lapilli, his tuber cula ad craſſam ve-
nam enata ſunt, atque ſuppuruerunt.
deinde cum ea haud ita cito erumpe-
rentur, pori deuoluti ex pure per ve-
nam, ſimul cum vrina in veſicam ex-
truduntur. Si vrinæ cruentæ ſunt, in
venis vitium eſt. Si vrina quæ craſſa
eſt, habuerit ad effigiem capillamen
ti caruunculas admodum minutas,
ſigno eſt vitium eſſe in renibus & ar-
ticularib⁹. Si pura & i ſũma vrina ve-
luti furfures huc illuc q̃ ĩnatẽt, ſcir licet

vesicę scabiē subesse.

De febribus.

MAgna ex parte febres à bile sunt. genera earum quatuor sunt, absque illis quæ doloribus eueniunt. Nuncupantur autem, continens, quotidiana, tertiana, quartana. Continens, à copiosissima atque meracissima bile prouenit, & per quā breui iudicatur. qm̄ corpꝰ à vehemēti calore feruescēs dū nullo tpis īteruallo refrigescit, celeriter soluitur & absumitur. Quotidiana, secūdū cōtinētē à largissima bile est, & ex omnibus aliis citissime euincitur. longior est continente, quo pauciore ex bile venit. tum quia corpus propter intermissionem requiescit in continente autem nullo vnquam tempore quietem habet quia nulla fit intercapedo. Tertiana, diuturnior est quam quotidiana, a minore bile accedit. quanto plus in tertiana quàm in quotidiana corpus requiescit, tāto diuturnior ē, quā quotidiana. Quartana alioqn pari rōne lōge diuturnior terni anis ē: tū qa minus bilis hn̄s ęstū afferētis, tū quia corpus amplius refri-

que dolo: vide 2o d crisi cap: 191 · col: p

gescit, quod ab atra bile id superantis materiæ profiscitur ac difficulter euellitur. Nã cum ea inter omnes corporis humores lentissima, & glutinosissima sit: diuturniores sedes cõstituit. Quòd autem febres quartanæ, atræ bilis participes sint, hac re tibi patebit quòd homines autumnali potissimum tempore, & in ætate vigintiquinque annorum vsq; ad quadragesimum quintum annum, quę ex omnibus ętatibus, maxime atra bile detinetur, corripiuntur quartanis, quibus autumnus inter omnia alia anni tempora expositissimus est. Quos igitur vltra citra ve id tempus ac eam ætatem quartana accesserit, pro comperto habere debes hanc febrem minime diuturnam fore, nisi quid aliud homini officiat.

LIBRI DE NATVRA HVMANA FINIS.

ℭ HIPPOCRATIS COI, DE RATIONE VI- ctus in morbis acutis liber pri- mus, Gulielmo Copo Ba- siliensi interprete.

Priscorum medicoꝝ tres fuisse familias meminit Galenus libro de curandi via & ratione. Vna eorum fuit medicoꝝ, qui Coũ insulam incolebant: quoꝝ princeps fuit Hippocrates. Alia Rhodioꝝ. Tertiæ sectæ authores Cnidii vocabantur, á Cnido ĩsula: vna ex quinque Cycladibus. Horum placita Hippocrates hoc loco Cnidias sententias vocat.



Vi Cnidias vocatas sententias, posteritati literis prodiderunt, quamuis in singulis morbis, & affectus & accidentia quædam ęgroꝝ recte quidem illi scripserint, tamẽ ea dũtaxat attigerũt, q̃ nullo feré negocio scriberet is quoq;, qui medicinã nõ didicit, si laborantẽ accurate sup singulis affectionibus interrogaret. quippe multa, quę non re- 1

ferēte ægro, medicum prænoſcere ne
ceſſe eſt, prędterierūt. atq; in aliis qui-
dem alia, quorum nonnulla non me-
2 diocrem ad coniecturas cōmoditatē
habere videntur. Igitur de his quę vel
3 ad coniecturam, vel ad curationis ra
tionem pertinent, equidem longe ali
ter atque illi enarrauerunt, ſentiendū
4 puto. quapropter eos haudquaquam
laudauero, idque non ſolum ob hanc
cauſam, verū etiam quòd paucis ad-
modum medicamentis vſi ſunt. Nam
præter ea quæ de acutis morbis præ-
cipiunt, hęc dumtaxat tradiderūt, ela
terium, id eſt medicamentum quod
purgādi vim obtinet, ſerum, & lactis
ſuo tempore potionem. Quæ ſi ſatis
efficacia ad morbo℞ curationē eſſent
ipſi ſumma laude fuiſſent extollendi,
vtpote qui pauca admodū, ſed qbus
nihil deeſſet, preſcripſiſſent. Id vero lō
5 ge abeſt à veritate. Proinde poſterio-
res, ſuſcepto corrigēdi munere, medi-
ca magis via, ea q̄ ſingulis exhibenda
ſunt, inſtituere tētauerunt. Etenim de
6 victus rōne, veteres nihil pene ſcripſe
rūt. ſed hāc ptē haudquaq; cōtemnēdā

p̃teriisse videtur, q̃uis nõnulli singulorũ morborũ varietates multifidosq; ipsorũ modos, ñ ignorarẽt. Quinẽt ĩ hoc peccauerũt, quòd oĩum morborũ numerũ manifeste deprehẽdere conati sũt. 8
id vero pdifficile est, si inde cõiecturã feceris, q̃ morbi ĩter se differũt, nullus que sit idẽ morbus, nisi idẽ quoq; nomẽ sortiatur. ¶ Mihi vero placuit vniuersæ huic arti sic mentẽ adhibere, vt enarrata in ipsa singula officia, pbe pficiãtur, & q̃ celeritatẽ desyderãt, celeriter, & q̃ puritatẽ, pure: & qbus dolor accedere nõ debet, ea iucũdissime tractẽtur, ac reliqua id genus oĩa secũdũ hũc modũ (q à pximo illo plane abhorret) in meliorẽ formã redigantur. Quocirca illũ medicũ in primis laudãdũ putauerĩ, q in acutis morbis, ea q̃ plures enecare solẽt, lõge diuersa ab aliis rõne, ĩ melius cõmutare põt. igitur hi sũt acuti morbi, quos veteres vocauerũt costalẽ, pipneumoniã, ĩsaniã, lethargũ, ardorẽ, & si q alii illos sequãtur, inter quos oĩno febres continue ęgrũ interficiunt. Quum enim nullũ cõmune pestilẽtis morbi genus

graſſatur, ſed diſperſi, diſſimileſque
fuerint morbi, ii magis quam reli-
qui omnes hominem perimere ſolēt.
10 Idiotę vero (quod ad huiuſmodi mor
11 bos pertinet) ſicuti nequeunt quan-
tum quiſq; à proximo differat, diſcer
nere: ita modo has, modo illas cura-
tionis formas, aut laudant, aut vitu-
12 perant. Cuius rei haud mediocre indi
cium eſt, ꝙ horum morborum curan
di rationem populares, vtpote rudes,
omnino ignorant. medicos enim ar
bitrantur eſſe eos qui medici nō ſunt,
maxime vbi dictorum morborum
genus aliquod inciderit. facile enim
eſt apud ægros nomina vſu compro
bata proferre: quippe ſi aut ptiſanæ
cremorem, aut vinum aliquod, aut
aquam mulſam quis nominauerit,
vulgares hæc eadem apud medicos,
tum præſtantiores, tum deteriores ſi-
ne vllo diſcrimine in vſum venire exi
ſtimant. verum econtrario res ſeſe ha
bet: nam longo interuallo (quantum
ad iam propoſita attinet) inter ſe diſ
13 ſident. Igitur ſcribere aggredior, in
primis ea, quæ quamuis ſcitu vtilia

ſint, tamen ſi medicis ignorantur, deinde ea quoque quæ magnopere vel iuuare, vel lædere conſueuerunt. Quæ ignorantur, hęc ferè ſunt. Cur alii quidem medici non colatam ptiſanam perpetuo exhibentes, minime ſe errare putant. alii vero omnino præcipiunt, vt ne hordeum quidem vllum laborans deuoret, magnam inde noxam timentes, ſed per lintheum colatum cremorem exhibent. Sunt qui neque craſſiorem ptiſanam, neque ſuccum eius dādum cenſeant, idque alii vſque ad ſeptimum diem, alii donec
finiatur morbus. Sane huiuſcemodi 14
quæſtiones, medici neque proponere, neque propoſitas explicare conſueuerunt.
Quam ob rem populares gra 15
ui admodum calumniam vniuerſam artem damnant, perinde ac ſi nulla (quātum ad acutos morbos attinet) videatur eſſe medicinę profeſſio.
Tan 16
ta enim eſt artificum inter ſe pugna, vt quod vnus ſaluberrimum, id alter protinus pernicioſum eſſe contendat Atque hac ratione factum eſt, vt diuinationi ferè ars ipſa comparetur. Si-

quidē augures, eādē auem, ad sinistrā quidem faustam, ad dextram vero infelicem esse putāt. Similiter vbi victimarum exta inspectantur, talia quædam inueniri solent, á quibus deinde vatum nonnulli omnino dissentiunt.
17 Hanc perpensionem, tum honestissimam esse, tum cognatione quadam, plurimis, eisdemq; perquam vtilibus in arte rebus, cōuenire dixerim. vtpote quæ ægris vuiuersis, magna quadā vi, sanitatē, sanis securitatē, exercitantibus bonū habitum, & quicqd aliud quoq; volueris, pollicetur.

DE PTISANA.

18 IGitur ptisana in his morbis, cæteris quę ex frugibus constāt pulmētariis, mea quidem sententia rectissime antefertur. neque mediocri laude eff. rendi sunt ii, qui eam anteponere decreuerūt. Nam viscositas eius lenis, contiuua, iucunda, lubrica & modice laxa est, sitim arcet, & (vbi ablutione opus est) facile descendit, non astringit, non vellicat grauiter, neque in ventre tumescit. quippe quum decoqueretur, tumuit quan-

tum maxime tumeſcere potuit.Cæte
rũ qui in huiuſmodi morbis ptiſana 19
vtũtur,ne vna quidẽ die venas(vt ita
dicam)concidere ſinant , ſed ab eius
vſu nequaquá deſiſtant,niſi aut medi
camentũ aut clyſter id impediat.Pro 20
inde qui bis die cibum ex conſuetudi
ne ſumunt,bis quoq; ptiſana eis exhi
benda eſt.Qui vero ſemel duntaxat ,
iis primo quidẽ die ſemel tãtũ detur,
facta tamen additione. Quòd ſi fieri
põt,bis quoq; exhibeatur,vbi videli-
cet res ita expoſtulare videtur . At in 21
prĩcipio neq; multá,neq; craſſam da-
re,ſed aliquid tum cóſuetudinis gra-
tia,tum ẽt ne venæ concidát ingerere
conuenit.Sed de ſorbitionis incremẽ
to animaduertendum eſt.Nam ſi quã 22
aridiſſimum eſſe conieceris morbũ,
haud ita multum ipſius dare oportet:
ſed ante ſorbitiouem,aut aquá mul-
ſam,aut vinũ,vtrũ magis profuturũ
exiſtimaueris , ꝓpinare.vtriuſq; vero
vſum in ſingulis affectionibus poſtea
dicemus.At ſi humidũ fuerit os , & q̃
à pulmone excernũtur debitam qua- 23
litatem ſeruauerint , augenda eſt(vt

ſummatim dicam) ſorbitionis quan
titas quippe quo copioſior, citatiorq;
humor apparuerit, eo maturiorem:
quo vero tardior, minorq;, tardiorē
24 morbi finem denunciat. Verum hæc
ipſa per ſe magna ex parte talia de-
prehenduntur. multa vero haud inu-
tilia à quibus cōiecturas capere opor
tet, hic omiſimus, de ipſis poſtea di-
cturi. Cæterum quo copioſior fuerit
25 purgatio, eo cibum oportet eſſe au-
ctiorem, idque vſque ad morbi iudi-
cationem, cuius impetus magna ex
parte duos dies non excedit, vbi vel
quīto, vel ſeptimo, vel nono die mor
bus finiri debet. quocirca & pares, &
impares dies accurate ṗpēdere opor-
tet. His ita cognitis, ſorbitionem ma
tutino quidē tempore exhibe, veſpe-
re autem ad alios etiamnū cibos trā
ſire poteris. ¶Huiuſcemodi igitur in-
62 ſtitutio magna ex parte iuuat eos qui
protinus ab initio tota vtuntur ptiſa
na. ¶Quum itaque pleuritici aliquid
27 notatu dignum ſcreare & expurga-
re cœperīt, dolores ipſorum ilico ſua
ſponte deſinunt. Quinetiam purga-

tiones hoc pacto longe perfectiores
ſunt,minuſque ſuppuratione afficiũ-
tur,q̃ ſi aliena victus ratione educa-
rentur.inſuper iudicationes ſimplicio
res,facilioreſq; fiunt,neq; tam facile
morbi reuertuntur. ¶Sane ptiſanam 28
ex hordeo quam optimo facere, &
eam probe concoquere oportet.idq;
præſertim ſi non ſolo cremore vti de-
creueris.ſic enim præter reliquas pti- 29
ſanæ commoditates, lubricitas eius
prohibebit,ne inter deuorãdum, no-
xam inferat hordeum, neque enim
adhęrebit,neq; per thoracẽ tranſeun-
do morã faciet.Quum enim ſtudio-
ſe coquitur,perq̃ lubrica euadit,ſitim
nequaq̃ excitat,atq; vt facillime con- 30
coquitur, ita imbecilliſſima eſt. qui-
bus nimirum omnibus indigemus.
¶At niſi exquiſita fuerit huiuſmodi
ſorbitionis præparatio,adeò vt nihil
deſit,quo minus exſpectatum auxiliũ 31
præſtet,noxia ſæpenumero efficitur.
¶Etenim quibus cibus recens conclu
ſus eſt,ſi eo non vacuato,ſorbitio de- 32
tur,dolor iam inſtans irritabitur aut
ſi dolor nõ eſt,ꝓtinus inducetur,ſpũs

reddetur q̃ frequentiſſimus, id quod nõ mediocre malum eſt. nam pulmo exiccatur, & præcordia, abdomen, atque ſeptum trãſuerſum dolore cruciantur. Quinetiam vbi lateris dolor
33 continuus eſt, atq; calidis fomẽtis nõ leuatur, neq; procedit ſputũ, ſed lentũ & ĩcoctum eſt, ſi tum neq; alui ductione, neq; ſanguinis miſſione (ſi horum auxiliorum alterutrum conferre videatur) dolorẽ ſolueris, ſed ptiſanam ſic affectis exhibueris: nihil obſtabit quo minus præcipiti morte rapiantur.
34 ¶ Itaq; ob has cauſas, atque id genus alias, qui totam ptiſanã ingerũt, vel ſeptimo die, vel citius moriuntur, ac alii quidẽ demẽtes, alii vero à ſpiritus difficultate ſtertentes ſuffocantur.
35 Proĩde vetuſtiſſimi, eos ſyderatos eẽ putabant, cum ob eas quas modo cõmemorauimus cauſas, tum vero ꝙ mortuis, latus liuore affectum ad pla-
36 gæ ſimilitudinẽ videbatus. Cuius rei cauſa eſt, ꝙ perſeuerante adhuc dolore, mors propter difficilem anhelationem obortam, ipſos præoccupat. citantur enim ſpirationes. Ex multa re-

ro frequētiq; ſpiratione(vt diximus)
ſputum incoctum,viſcoſumq; factū,
non procedit:ſed in pulmonis meati
bus retentum,ſtertorem efficit. Quū
itaque ad hoc difficultatis peruenerit
magna ex parte mortiferum eſſe cō- 37
ſueuit.Quippe retentum ſputum,pro
hibet aeris ad interna lationem, ip- 38
ſumq; celeriter egredi cogit. quo fit,
vt viciſſim alterum ab altero male af
ficiatur.ſiquidem retentum ſputum,
ſpiritū frequētem reddit: ſpiritus au-
tē frequens,ſputum ſic facit viſcoſum 39
vt elabi non poſſit. ¶ Solent vero ea,
quæ ſupra diximus,accidere,non ſo-
lū ob ptiſanam importune ſumptā,
verūetiam multo magis,ſi quid aliud
edatur,vel bibatur qđ ſit ptiſana de-
terius. Ergo eaſdem fere commodi-
tates magna ex parte adipiſcuntur, 40
& ii qui tota ptiſana,& qui ſucco ip-
ſius,quique neutro horum,ſed potio
ne duntaxat vtuntur.Atque accidit in
terdum vt diuerſæ ſint ſingulorum cō
moditates. Id vero omnino obſer- 41
uādū eſt. Si qnempiam qui non ita
dudum cibū accepit, nec alui adhuc

onera deiecit, febris, vel vnà cum do-
lore, vel etiam ſine dolore corripuit,
ſorbitio danda non eſt, donec conie-
ceris cibum ad imas inteſtinorũ par-
tes deſcendiſſe. Infeſtante itaque do-
42 lore, potui dandum eſt oxymel, hye
me quidem calidum, æſtate vero fri-
gidum. Sed vbi ſitis vehementer cru-
ciat, & aquam mulſam, & aquã ip-
ſam dare conuenit. deinde ſi vel do-
43 lor, vel periculum aliquod aliud im-
minet, danda eſt ſorbitio, ſed neque
multa, neque craſſa, ac ne id quidem
prius quam dies ſeptimus præterie-
rit, ſi vires ægri ſufficiant. Illi qui nu-
44 per cibum accepit, ſi vires valent, &
viget ætas, clyſter immitti debet, ſi
cibus iampridem ſumptus, nondum
deſcendit. Imbecillo autem glandem
ſupponere oportet, niſi ſponte deie-
45 ctio ſequuta eſt. Sane tempus exhi-
bendæ ſorbitionis, tum ab initio, tũ
per totum morbi decurſum ſummo-
pere obſeruandum eſt. etenim pedi-
bus frigore affectis, non ſolum á ſor-
bitione, verumetiam à potione ma-
xime abſtinendum eſt. ſed tum dabi

mus & ſorbitionem & potionem,
quum calor ad pedes vſque peruene-
rit. Nam hoc tempus quam maxime
oportunum eſt, cũ in omnibus mor-
bis, tum præcipue in acutis, potiſſi-
mum vbi & febris, & periculum ve-
hemens ſubeſt. ¶Proinde ſi acurate,
ea quæ ſupra propoſita ſunt, animad 46
uerteris, in primis ptiſanæ cremorẽ,
deinde ipſam quoque ptiſanam da-
re curabis.

LIBER SECVNDVS.



Ateris dolorem, ſiue is 1
protinus à principio, ſi-
ue poſtea obortus eſt,
non ab re fuerit tenta-
re, tepidis fomentis diſ-
ſoluere. ¶Calorifico au 2
tẽ fomento, quo aqua calida in vtre,
veſica, vel vaſculo æreo, aut teſtaceo
adhibetur, nullũ aliud præſtantius ẽ,
ſed molle aliquod (quo iucũdius fiat 3
fomẽtũ) prius lateri apponendũ eſt.
quinetiã vtiliter adhibetur ſpongia
magna, molliſque, ex aqua calida ex
preſſa. veſtiendũ vero fomentũ ẽ, vt
neq; vis eius celeriter deleatur, euane- 4

ſcatque, neque nidor ad ægri ſpiritū
pertingat, niſi fortaſſis vſum quen-
dam preſtare videatur. nam interdū
nonnihil vtilitatis in ipſo deprehen-
ditur. Ad hæc hordeum & eruum, in
5 aceto ita temperato, vt paulo acidi-
us ſit, quàm vt ipſum bibere quis poſ
ſit, macerantur, feruentque, deinde
marſupio iniecta adhibentur. Nec ſe-
cus de furfure quoque ſentiendum ē.
6 Arida autem fomenta ex ſale, milió-
que fricto rectiſſime in laneis marſu-
piis apponuntur. etenim milium &
leue eſt, & iucundum. Sane dolores
7 ad iugulum vſque extenſos, huiuſmo
di fomentum diſcutit. Sectio autem,
8 niſi iugulum quoque dolor compre-
hendat, haud æqualem in doloris di-
ſcuſſione obtinet facultatem. Vbi fo-
9 mentis dolor ſedatus non eſt, nō diu
tius calorificis vtēdum eſt, ne vel pul-
monem exiccent, vel ſuppurationem
excitent. ¶Quum ergo ad iugulum
10 dolor extēditur, aut grauitas vel bra-
chium, vel mammillam, aut partes
quæ ſupra tranſuerſum ſeptum ſunt,
infeſtat interna cubiti vena ſecanda

est. Neque dubites copiosum detrahere sanguinem, donec vel rubicundior multo, vel pro puro, rubidoque, liuidus effluxerit. vtrũque enim accidere solet. At si eas ptes q̃ sub trãsuerso septo sunt, dolor afficit, sed ad iugulũ nõ ascẽdit, tũ vel nigro veratro, vel peplio aluus ducẽda ẽ miscere vero oportet veratro vel daucũ, vel seseli, vel cuminum, vel anisum, vel aliud quidpiã odoris iucũdi. Peplio vero laser, id est silphii succũ, quãquã & hæc ipsa simul mixta, haud absimiles vires obtinent. Cæterum vt hæc ambo 11
quæ diximus, ita plura quoque alia quæ alui ducendæ vim habent, dolorem mitigant. sed omnium quæ ego nouerim hæc longe optima sunt. Nã & in his quæ sorbitionibus mixta vẽtrẽ soluũt, nõnihil p̃sidii ẽ, nisi vel ob amarorẽ, vł aspitatẽ, aut młtitudinẽ, aut colorẽ, aut suspicionem aliquam, omnino fuerint ingrata. Quum me- 12
dicamentum aliquis ebibit, mox ptisana sorbitioni danda est, non minori pene quantitate q̃ consueuit, ni-
si consuetudo rationi aduersetur. In 13

media vero purgatione ſorbendum non eſt,ſed vbi ad purgationis finem deuentum eſt,ſorbitio detur , minor tamen q̃ȝ pro conſuetudine. Tandem leuato dolore,niſi aliud quidpiã obſtiterit,liberalius exhibeatur. ¶Idem
14 dixiſſe velim,quum ptiſanæ cremor
15 in vſum venerit . Equidem ſatius eſſe puto,vt protinus ab initio ſorbitionem dare incipias,quám tertio,quarto,quinto,aut ſeptimo die:quum videlicet venę conciderunt,niſi ſub hoc ſpacio morbus fuerit iudicatus.¶At
16 que hos ſimiliter,vt ſuperiores , præ
17 parare oportet.De ſorbitionis exhibitione,hec feré ſunt quę dicere decreueram. Ac de potione quoque (qualiſcunqȝ ex his,quas poſt hac declarabimus,ſumatur) eadem ratio eſt.

DE CONSVETVDInis mutatione.

18 SEd nõ ignoto omnes fere medicos á debita obſeruatione,quã grauiſſime aberrare , quippe q ab initio duos,aut tres,aut etiã plures dies,fame cruciãt ęgros deĩde

& ſorbitiones

& ſorbitiones, & potiones exhibent,
quòd videlicet operæpretium ipſis vi
detur, magnæ corporis mutationi
quidpiam qđ valde ſit magnũ obii-
cere. Equidem mutationem laudo, ſi
modica fuerit, recta enim debet eſſe
mutationis tranſlatio. Maxime vero
in ciborum exhibitione mutationis
conſideratio habenda eſt. Porrò gra- 19
uiſſime læduntur ii, qui tota vtuntur
ptiſana, ſi mutationi peccatum acce-
dat. ac læduntur quoque qui ſuccum
duntaxat aſſumunt. Deinde noxa af-
ficiuntur, qui ſolam potionem acci-
piunt, ſed minus quàm ſuperiores.
Cæterum vt rectam victus rationem 20
inſtituamus, ſalubria præcepta quæ
per bonam valetudinem obſeruan-
da ſunt perpendere oportet. Quum
enim non parum interſit, hacne, an
illa victus ratione ſani vtantur: cum
in aliis quibuſdam, tum præcipue in
mutationibus: quomõ fieri poteſt,
quo minus magna ſit in morbis va-
rietas, idq; maxime in acutis. Quòd 21
autem vitioſam victus rationẽ, quę
nunquam variat, longe tutius ſit ob-

ſeruare, quàm ſubito vel ad meliorē transire, facile intelligitur. Quippe ſiue bis, ſiue ſemel dūtaxat in die, quis cibum accipere ſolitus eſt, ſi ſubito cō ſuetudinem mutauerit, noxam, imbecillitatemque ſubibit. Etenim prā-
22 dium aſſumens, qui id non conſueuit protinus imbecillus, grauis, ægrotus ſegniſque redditur. Quód ſi præterea cœnauerit, ructus acidus, & alui leuitas ſubſequitur. grauatur enim ſubiinſueto onere ventriculus. qui antea aridus eſſe, ac neque bis intumeſcere, neque toties cibum coquere ſolebat. Proinde iuuandi ſunt tales compen-
23 ſata mutatione. ſiquidē dormire eos oportet, tanquā noctem à cœna ducerent, ac hyeme quidem frigus, ęſtate vero calorem vitare. Si ſomnus nō accedit, lento, frequentìque inceſſu ambulare, ac neque ſtare, neque cœnare debēt, niſi forte per exigua quędam eáque minime noxia ſumant. minus bibere, idque meracius & nequaquam dilutum. ¶ Maiori tamen
24 moleſtia afficietur is: qui ter eadem die ad ſatietatem vſque cibum inieſ-

ſerit,ac multo magis ſi crebrius etiā-
num aſſumpſerit. Quâquā ſunt non-
nulli quibus nihil moleſtiæ affert, ter
in die cibo repleri, præſertim ſi ita
educari conſueuerint. Quibus cōſue-
tudo fuerit bis die cibum aſſumere,ii
niſi pranſi fuerint,imbecilli,ęgrotiq;,
ac ignaui redduntur, dolore præcor-
dia torquentur,veluti ſuſpenſis viſce-
ribus, vrina calida pallidáque reddi-
tur,& alui ſedimina aduruntur, os a-
marore afficit, oculi cauantur, tem-
pora mouentur, extremæ partes fri-
geſcunt. ¶ Sunt plærique qui omiſſo
prandio cœnare nequeunt.quòd ſi tū 25
cœnauerint,ventris grauitate mole-
ſtantur, ac per ſomnum multo ma-
gis vexantur,quàm ſi pranſi fuiſſent.
Quū igitur eos, qui bona adhuc vale
tudine degūt huiuſcemodi ĩfeſtēt ac- 26
cidentia,ſi p diei dūtaxat medietatē,
rō victus à cōſuetudĩe mutetur,cōſtat
vt neq; addi qcquā, neq; minui vtil'r
poſſit. Igitur q pter cōſuetudinē ſemel
dūtaxat cibū accepit,deĩde ex ĩanitis 27
toto die venis,q̃tū ſolebat cœnauerit,
ſi quū à prādio abſtinuit, & doluit,&

ægrotauit,aſſumpta autem cæna gra
uis effectus eſt:par eſt eum multo ma
28 gis grauari.Cui vero ex longiori ſpa
cio venę conciderunt,ſi repente cœna
29 uerit,multo grauius afficietur. ¶Re-
ficiuntur autem hi quibus præter cō-
ſuetudinem venæ exinanitæ ſunt , ſi
eodem die à frigore,calore,& fatiga
tione tuti ſeruentur,quippe quod oīa
hæc ægre tolerari ſolent . deinde cœ-
na multo leuior,quàm pro conſuetu-
dine,inſtituenda eſt : eáque nō aridã
eſſe ſed humiditatis modum ſeruare
oportet.Vinum haud quaquam dilu
tum potare,neque minus quàm cibo
rum ratio deſiderat. poſtero die exi-
guum cibum in prandio ſumere , vt
paulatim ad conſuetudinem fiat redi
30 tus ¶ Huiuſcemodi vero noxas gra-
uiſſime ferunt ii , quibus ſuperiores
31 partes amara bili redundāt. Quibus
vero in ſuperioribus pituita contine-
tur, ii inediam præter conſuetudinē
magna ex parte facile tolerant. quo
fit vt minus quoque lædantur,ſi præ-
ter conſuetu dinem ſemel dūtaxat in
32 die cibo reficiantur. ¶Præterea effi-

cax argumentum vel ex eo deprehē-
ditur, quòd maxime in nobis muta-
tiones, tum naturæ, tum habitus, po-
tiſſimum morbos pariunt. Quamob 33
rem neque venas importune exinani
re, neque vigentibus, feruentibuſque
morbis aliquid ingerere, neque etiā
per totum morbi decurſum, vel ad
hoc, vel ad illud quicquam permuta-
re conuenit. ¶ Multa iis conſentanea
de ventriculo dixeris. vt pote qui ci- 34
bos vel malos, ac potiones quoque (ſi
ipſis vti cōſueuerit) facile ſuſtinet. Cō-
trà grauiter ferre ſolet, tum cibos, tū
potiones, quamuis ſuapte natura vi-
tio careant, ſi præter conſuetudinem
ingerantur. Quo minus mirandū eſt, 35
ſi maiore dolore afficitur illorū ven-
triculus, qui præter conſuetudinē mul
tas carnes, aut alia, aut laſerpitium,
aut laſer, aut eius caulem, aut reliqua
id genus vehementes vires obtinen-
tia, edunt. Nec vlla admiratione ca-
pieris, ſi didiceris, mazam præter cō-
ſuetudinem ingeſtam, tumultum, tu-
morem, flatum, tormináque excita-
re, præſertim vbi quis mazam edere

non conſueuit. Et quòd calidus panis
ſitim, ſubitamque plenitudinem præ
bet: quippe qui ariditatem inducit,
tardeq; deſcendit. Item quòd panes,
ſeu admodum puri, ſeu cibarii, repu-
gnante conſuetudine ingeſti, diffe-
rentes inter ſe affectus committunt.
Similiter maza ſiue arida, ſiue humi-
da, ſiue viſcoſa ſit. Ad hæc qualiter re
centes polentæ, præter cõſuetudinem
illas comedentem, afficiunt. Sic vini
quoque & aquæ præter conſuetudi-
nẽ potatio, ſubita in diuerſum vſum
facta permutatione. Præterea vinum
quoque affatim epotum, ſiue dilutum
eſt, ſiue meracum. hoc enim venas im
plet & capitis grauitatem, ſitimque
excitat. illud ſuperiores ventriculi par
tes laxat, inferiores flatibus cruciat.
Idem ex vino, tum albo, tum nigro
accidet, vbi ſubita fuerit à conſuetu-
44 dine mutatio. quãuis enim vinoſum
fuerit vtrunq;, magno tamen diſcri-
mine, corporis reſpectu, alterum ab
altero dieffrt, vt nihil mirum ſit, ſi dul
45 ce, idemq; vinoſum vinum, vbi ſubi-
ta fuerit mutatio non idem efficere

videatur. ℭ Cæterum hanc senten-
tiam, contraria quoque ratione ful- 36
cire oportet. ſiquidem in iis ratio vi- 37
ctus permutata eſt, corpore non per-
mutato, vt neque ob auctum robur
cibos addere, neque ob infirmita-
tem eos minuere oporteret. In ſingu-
lis itaq; perpende & vim & ſpeciem 38
morbi, atque hominis naturam, ac
ægrotantis in victus ratione conſue-
tudinem, non ſolum in cibis, verum
etiam potionibus. ℭ Sed per quã mo 39
dice, additioni ſtudendum eſt, abla-
tioni vero in totum intendere, ſæpe-
numero prodeſt, modo ſufficere poſ 40
ſit infirmus, donec per vigorem mor
bus maturus fuerit. Id vbi faciendum 42
ſit poſt hac perſtringemus. Cæterum 44
quamuis multa iam dictis conſenta- 43
nea ſcribi poſſent, tamen res de qua
plurimum habui ſermonem, effica-
cius teſtimonium nõ deſyderat, quip
pe quæ cõmodiſſimum contemplãti
præbet aditum. Incipientibus igitur
acutis morbis, accidit interdum vt la
borãtium alii eodem quo incœperũt
die cibos ingerãt, alii poſtero die, alii

quicquid forte fortuna nacti sunt sorbeant, alii cyceonem, id est cinnum bibant. Quorũ error etsi grauior est, quàm si diuersa victus ratione vsi fuissent, tamen longe minus læditur is, qui hac occasione peccauerit, quàm si duobus, tribus ve primis diebus, venas pœnitus concidere sinens, mox quarto quinto ve die huiusmodi victus rationem aggrediatur. Sed longe grauissimum est, si omnibus iis diebus venas exinaniri permittat: deinde posterioribus diebus, prius tamen quam morbus maturetur ad huiusmodi victus rationem se cõuertat. siquidem plurimi hoc pacto mortis periculum subeũt, nisi salubris admodum fuerit morbus. Errores autẽ ab initio protinus commissi, non ita difficulter corriguntur, sed faciliorẽ certe admittunt medelam.
44 Hoc documẽto nullum aliud puto salubrius. primis enim diebus nullum sorbitionis genus subtrahendũ est his, qui paulo post vti sorbitione cogantur. Etenim
45 qui hordeacea ptisana vtuntur, penitus nesciunt ipsam noxiam esse, si tri-

bus, quatuor, pluribus ve diebus exinanitis iam venis ſorbere incœperint. Neque etiam cremorem eius dũtaxat accipientes, quum non recte ſorbere incœperint, noxam ſibi inferri intelligunt. ſed tum primum & cauent, & periculi magnitudinem agnoſcunt, quum ante morbi maturationẽ, quis ordeaceam ptiſanam ſumit, qui cremore eius vti ſolebat. Vnde manifeſtiſſime colligitur, medicos non recte 46
ægrotis victus rationem præſcribere. quippe qui in morbis, non venarum exinanitione, ſed ſorbitione egentibus venas concidere permittunt. Contrà vbi à venarũ exinanitione ad ſorbitiones tranſire periculoſum eſt, ipſi confeſtim tranſmutando plærumque peccant. Ac nõnunquam a venarum inanitione, ad ſorbitiones eo tempore tranſeunt, quo ſatius eſſet (ita exigente morbi irritatione) a ſorbitionibus ad venarum exinanitionem tranſire. Quapropter quibuſdam ex capi 47
te ac pectore cruda bilis attrahitur, quibus vigilia quoque morbi maturationem impediens accedit, mœſti-

tia, amaritudineque infeſtantur, deli-
rant, ac ſplendentia quædam ipſo-
rum oculis obiiciuntur, aures ſibilo
implentur, extremæ membrorū par
tes infrigidantur, vrinæ redduntur in
coctæ, ſputa tenuia, ſalſa, colore ſyn-
cero, exigua, ſudores a ceruice pro-
fluunt, anxietate vexantur, ſpiritus
errat, quippe quum ſurſum fertur aut
frequens eſt, aut valde magnus, ſuper-
cilia grauantur, animi defectio vrget,
eaque mala, veſtes a pectore ꝓiiciunt,
manus tremore afficiuntur, imum la
brum nōnunquam concutitur. ¶Hęc
ſi ab initio apparuerint delirium, &
quidem multum ac vehemens denun
cian:, atq; æger magna ex parte mo-
ritur. Quòd ſi mortem effugerit, aut
abſceſſu, aut ſanguinis fluore è nari-
bus, aut craſſi puris ſputo liberatur,
nec aliter euadere poterit. Neque vi-
deo medicos harum rerum experien
tia ita exercitatos, vt imbecillitates
in morbis diſcernant, ſiue ob vena-
rum inanitionem, ſiue ob aliam quā-
dam irritationem (vt vel dolorem,
vel morbi vehementiam) eueniant.

Neque eas affectionum ſpecies digno ſcunt quas vel natura noſtra, vel habitus, ſingulis efficere ſolet, quanquā ab iis, vel ſalus (ſi cognoſcantur) vel mors (ſi propter imperitiam lateant) expectada eſt. Sane vt grauiſſimum peccatum cenſetur, ſi vel ob laborem, vel morbi vehementiam imbecillo, aliquis vel potionem, vel ſorbitionem, aut cibum exhibeat, exiſtimans eum a venarum exinanitione factum debiliorem, ita impudentiſſimum eſt, eum quem venarum exinanitio reddidit imbecilliorem, non cognoſcere, & abſtinentia torquere, quanquam ne hoc quidem peccatum periculo vacat. tamen vt ſuperiore leuius eſt, ita magis deridendum. Si enim alius quiſpiam ſiue medicus, ſiue plebeius, acceſſerit, notaueritque accidentia, deinde contra prioris medici inſtitutum, cibum, potionemq; exhibeat, plane cōſtat hūc non nihil auxilii attuliſſe: ꝓinde prioris artificis inſtitutum grauiſſimam ſubit calūniam. videturq; ſuperueniēs vel medicus vel plebeius veluti mor-

25 tuum resuscitasse. Nos de hac re notas quasdam scribemus, quibus singula discernantur. atq; hæc quæ iam proposui, similia fere sunt accidentibus, quæ ventriculum nonnunquam infestant. Etenim si vniuersum corpus præter consuetudinem diu quieuerit, non protinus robustius euadit. Quòd si lõgiori quoq; spacio torpuerit, deinde protinus labores aggrediatur, id qđ effecerit, vile erit. Similiter de reliquis quoq; corporis partibus sentiendum est. Neque enim pedes, neque aliæ corporis partes, recte sua munera perficient, dissuetudine laborem intercipiente, si aliquando subito laborare tentauerint. Similiter & dẽtes & oculi & cæteræ quoq; partes afficientur. Nam & cubile præter consuetudinẽ, aut molle, aut durum molestum est. quãquam quod sub diuo præter consuetudinem stratum est, corpus indurat. Porrò horum omnium satis fuerit exẽpla quædam perstringere. Esto sane quod tibia cuiuspiam vlcere nõ omnino salubri laboret quòd neque perdifficilem, neque facilem omnino

curationem admittat. *Si prima pro-*
tinus die, inter curationis videlicet
initia, ſic iaceat, vt nequaquam crus
eleuet, inflammatione haudquaquã
afficietur, multoq; citius bonæ valetu
dini reſtituetur, quàm ſi inter curan-
dum errorem committat. quòd ſi à
die quinto, aut ſexto, vel ſerius etiam
ſurrexerit, & incedere conetur, magis
dolebit, quam ſi protinus ab initio in
curatiõe peccaſſet, ſi vero ſubitò mul-
tumque fatigetur, grauiori cruciabi-
tur dolore, quam ſi per iam propoſi-
tos dies inter curandum fuiſſet fatiga
tus. Itaque ex his omnibus perfectum
licet colligere teſtimonium, quòd om
nis ſubita mutatio, ſi modum exceſ-
ſerit, noxam inducit. Ventriculus au- 56
tem grauiter læditur ſi ei poſtea quã
vehementer conciderunt venæ, pro-
tinus ĩmodice quidpiam ingeratur.
Sic reliquum quoq; corpus ſi ex mul-
ta quiete, ſubito ad vehementes labo 57
res deducitur. magis lædetur, quam
vbi ex pleniore cibo ad venarum exi
nanitionem tranſmutatur. Illorum
etiamnum corpora torpere neceſſe

est, qui ex multa fatigatione, repente ad ignauiam secordiamque sese conuertunt. Proinde ventriculos ipsorũ, haud ita multo cibo exercere oportet: alioqui & dolore & grauitate totum corpus vexabitur. Cæterum de immutatione vel ad hæc vel ad illa, longius fuit nobis sermo, quòd huiusmodi notitia, ad omne fere negocium vtilis est, præsertim ad hoc nostrum propositum, ꝙ scilicet in acutis morbis a venarũ exinanitione ad sorbitionem trãseuntes, ꝑmutatione a nostris præceptis aberrare nõ permittant. Etenim non est exhibenda sorbitio donec maturus videatur morbus, aut aliud signum, vel circa intestina, vt vacuatio aut irritatio, vel circa præcordia apparuerit. Vehemens vigilia, vt cruditatem incoctionẽque, tum ciborum tum potionis efficit, sic in diuersam partem transmutatio, corpus resoluit, & velut decoctum reddit, capitisq; grauitatem inducit.

LIBER TERTIVS.

DE VINO.



Gitur vinum dulce, & vinoſum, & albũ, & nigrum, atq; aquã mulſam, & aquã, & oxymel, quãtum ad acutos morbos pertinet, his fere notis diſtinguere oportet. Dulce quidem vinum, non adeò, vt vinoſum, capiti grauitatẽ affert, & minus tentat metem, nec vllũ aliud tam facile p inteſtina deſcendit. ſed iecur, & lienẽ in tumorẽ attollit: ac ne his quidẽ vtile eſt, in quibus amara bilis exuperat. Nã & ſitim excitat, & ſuperiorẽ inteſtinorũ partem inflat. inferiori vero inteſtino (q ad flatus rationẽ attinet) non adeò infeſtũ eſt. Sane flatus, quẽ dulce vinum excitauit, non facile pertineat, ſed in pcordiis diu commoratur. Vrinã oĩno minus hoc, quã album vinoſumq; ciere poteſt. At nullum aliud efficacius promouet ſputum, niſi quum ſitim induxerit, tum enim minus quã cætera ſpu-

tum euocat. vbi vero nõ excitat ſitim, omni alio efficacius ſcreatum iuuat.

8 Vini albi vinoſi, tum laudes tum vituperationes, in dulcis vini enarratione magna ex parte continentur. ipſum enim omni alio facilius ad veſicã trãſit, vrinam ciet, magnãq; ſemper auxilium in his morbis afferre ſolet. quã uis enim (quod ad reliquos vſus pertinet) ab alio vino ſuperetur, quia tamẽ per veſicã purgat, magnifice liberat, ſi exhibeatur vt oportet. Has igitur de vini tum vſu, tum noxa coniecturas (licet perpulchræ ſint) maiores no

9 ſtri ignorauerunt. Fuluum vinum, & nigrum auſterum, eundem vſum habere cenſerẽ in acutis morbis, niſi capitis grauitatem inducerent, & mentem attingerent, atque ſputi vrinæq; exitum impedirent. Cæterum a vino albo aliiſq; id genus non maxime abſtinendum eſt, quum alui excremẽta

10 & mollia, & ramentoſa fuerint. Id vero neminem latere debet, ꝙ ſuperiores & inferiores corporis partes, vt minus lædit vinum dilutũ, ita meracius inteſtinis magis auxiliatur.

DE AQVA

DE AQVA MVLSA.

AQua mulſa per totum mor- 11
bi acuti decurſum epota, his
qui amara bile abundant,
& quibus tumida ſunt viſce
ra, minus conuenit. quamquam ipſis 12
non adeó, vt vinum dulce, ſitim ex-
citat: pulmonem autem lenit, ſpu-
tum mediocriter educit, tuſſientibus
prodeſt, quippe quæ abſtergendi fa-
cultatẽ obtinet, ſed plus viſcoſitatis
quã oportunũ ſit, ſputo inducit. Ciet
vrinã efficaciter, niſi viſcerũ aliquod
obſtiterit. alui bilioſa excremẽta edu 13
cit, quæ interdum vicioſa ſunt, inter- 14
dum magis quàm oportet & exupe-
rant & ſpumãt. Id vero bilioſis ma-
xime accidit, & his quibus intume-
ſcunt viſcera. ¶ Aqua mulſa quo fue
rit dilutior, eo efficaciorẽ euocandi
ſputi vim obtinet, atq; pulmonem
reddit leniorẽ. Quæ vero minus dilu
ta eſt, alui ſpumoſa excrementa, & 15
ſupra modum bilioſa, & calidiora
magis quàm dilutior ducit. quãuis
alias præterea noxas inferant huiuſ- 16
modi excremẽta. Neq; enim preçor-

diorum ardorem extingunt, ſed ex-
citant, efficiuntq; vt difficulter mor-
bum ſuſtineat æger, & membra hinc
inde deiiciat. inteſtina etiam, & anũ
17 vlcerant. Quibus vero auxiliis ea cu-
rare oporteat, poſtea explicabimus.
18 igitur ſi in huiuſmodi morbis, quis
aqua mulſa, pro alia potione, poſt-
habitis ſorbitionibus vtatur, is vt
multa feliciſſime conſequetur, ita fe-
re nunquã ſua ſpe fruſtrabitur. Ergo
quibus danda vel inhibenda ſit, vel
quas ob cauſas ab ea temperandum
ſit, magna ex parte iam dictum eſt.
Sed damnauerunt nonnulli aquam
19 mulſam, ꝙ bibentium vires frangat,
maturamq; mortem citet. Cui erro-
ri occaſionem dederunt hi, qui mor-
tẽ ſibi fame conſciuerunt. Sunt enim
nõnulli qui aqua mulſa perinde ac ſi
huiuſmodi quandam vim habeat,
vtuntur. ſed id perpetuum non eſt.
20 quippe per ſe potui data (niſi ventrẽ
21 turbauerit) aqua longe valẽtior eſt.
22 Quinetiam vino albo, tenui, imbe-
cillo, non odoro, interdũ valentior
interdum imbecilior deprehenditur.

Etenim vini, mellisq; puri, si vtriusq; 22
vim cõsyderaueris, magna est diffe-
rẽtia. Nã si duplo plus vini puri quis-
piam biberit, q̃ linxerit mellis, longe
plus viriũ à melle, modo ventrẽ non
turbauerit, cõsequetur, vel hoc argu-
mento, q plus subinde stercoris deii-
ciet. ¶ Aqua mulsa à ptisanæ sorbi- 24
tione epota, vehementer replet, &
inflat, visceraq; in precordiis lædit.
Ante sorbitionẽ autẽ assumpta non
solũ nõ adeo ledit, verũetiã interdũ
magnifice prodest. Coctũ mel, aspi- 25
cientibus quidẽ longe p̄stantius cru-
do videtur. est enim splẽdidũ, tenue,
candidũ, & perspicuum. sed quibus
ab eo viribus differat equidem non
intelligo. Neque enim (si bonum fue-
rit) crudo suauius est, & minus ab eo
stercoris descendit, quanquam neu-
tro horum ad aquæ mulsæ proba-
tionem indigemus. Aliquando tamẽ
cocto melle vtendum maxime si vi-
tiosum, impurum, nigrum, & haud
iucundioris mel fuerit. siquidem plu-
rima huiusmodi turpitudinis vitia
coctio tollit.

DE OXYMELLE.

26 POtionem ex oxymelle voca-
to, ſæpenumero vtilem inue-
nies in his morbis: ſiquidem
ſputum educit, ſpiritumq; red
27 dit faciliorem. Atq; hæ ſunt eius oc-
28 caſiones. Quod ſi vehementer fuerit
acidum, modum in ſputis quæ non
facile reddũtur non ſeruabit. Etenim
ſi retenta educeret, gutturq; ipſum le
ue & lubricum redderet, pulmonem
haud mediocriter iuuaret vtpote qđ
molliendi vim obtineret: quæ ſi cõ-
tingerẽt, inter maxima nimirũ eſſet
auxilia numerandum. ſed euenit in-
terdum (quum vſqueadeo acutũ fue-
rit) vt non ſolum non poſſit ſputum
educere, verũetiam viſcoſius ipſum
efficiat atq; ſubmergat. Sane illi po-
29 tiſſimum ſic afficiuntur, qui alioquī
pernicioſo morbo laborantes, neq;
tuſſes, neq; ea quæ intus continentur
ſcreare poſſunt. His itaq; ſic ſe habẽ-
30 tibus, ægri vires perpendere, & ſi ad
huc in ſpe fuerit, tũ dare ipſum opor
tet. quũ vero dare decreueris, vt per
quã tepidum ſit ſtudendũ eſt, ac neq;

affatim, ſed paulatim exhibendum
eſt. Vbi vero non adeo fuerit acidũ,
os & fauces humectat, ſputũ euocat,
ſitim compeſcit, pręcordiis, viſceri-
bus, cęteriſq; id genus partibus ami-
cum eſt. Etenim mellis (quas prædi-
ximus) noxas prohibet. quippe quod
in melle bilioſum eſt, ita reprimitur.
flatus præterea illud quidem diſcutit,
& vrinam ciet. ſed inteſtini partem
imam laxat, & ramenta elicit. Atqui
in acutis morbis inutiliter nonnunq;
exhibetur. præcipue vero quia non
ſolum flatum cohibet, verum rurſus
ipſum reuerti cogit, vires frangit, &
membrorum extremas partes infri-
gidat. Atq; hæ ſunt (quas equidem 36
nouerim) aceti mulſi noxæ, haud in-
dignæ quæ literis prodantur. Huius
quidem potionis paulum noctu, ac 37
ieiuno, ante videlicet ſorbitionem
recte propinatur. quamquam nihil
prohibet ipſam a ſorbitione quoq;
bibere, modo longum interueniat
ſpacium. Porrò qui in victus ratione 38
ſola potione, poſthabitis ſorbitioni-
bus, vtuntur, iis ipſum non ſemper

exhibere conuenit, vel ob hanc maxime causam, q̧ intestina abradit, & exasperat, vtpote tum nihil stercoris continentia, & quidē vacuis iam venis, atq; fractis ab aqua mulsa viri-
39 bus. Quòd si per vniuersum morbi decursum, ab hac potione, eaq; multa, præsidium aliquod expectaueris, paulū aceti infunde, tm̄ videlicet vt gustanti, dūtaxat sensum moueat. sic enim citra noxā, debita auxilia præ-
40 stabit. Cæterū acuta vis aceti (vt sūmatim dicā) his magis quibus amara, quàm quibus atra bilis exuperat, conferre solet. quippe amara ab ipso dissoluuntur, & agitantur, ac in pituitam degenerant. Atra vero bilis in massam attollitur, & multiplicatur.
41 Nam acetum atram bilem parit. Mulieribus autem longe magis quā viridis aduersatur, vtpote q̧ vterū dolore cruciat.

DE AQVA.

42 AQua in acutis morbis potui datur, nec aliud ab ea præsidium petēdum censeo. Neq; enim in peripneumonia tussim sedat. nec est

alia potio, quæ minus ſputum pro-
ducat, ſi crebro quis eam biberit. Sa-
ne ſi inter oxymel & aquã mulſam,
aqua modice bibatur ſputũ euocat,
ſiquidem potionum qualitatẽ, facta
inundatione trãſmutat, alioqui neq;
ſitim ſedat, ſed amareſcit bilẽ etiam
parit in his qui ſuapte natura bilioſi
ſunt. præcordiis infeſta eſt. Quũ vero
vacuo etiã dum ventriculo ingeritur,
vt longe peſſima, & ſumme bilioſa
redditur, ita vires maxime proſter-
nit. Lienem & iecur (vbi inflãmatio
infeſtat) attollit, fluctuat, ſupernatat,
tarde tranſmittitur, vtpote frigida,
& cocta difficilis, non ducit aluum,
nec ciet vrinã, atq; ex eo quoq; vicio-
ſa ẽ, ꝙ ſtercoris ſuapte natura expers
eſt. Quòd ſi refrigeratis aliquãdo pe-
dibus quis eam, biberit, ex iam pro-
poſitis noxis omnibus illa multo gra
uius ipſum afficiet ad quã fuerit ꝑclĩ
uior. Vbi vero in huiuſmodi morbis 43
timueris, ne vĺ caput vehemẽter graue
tur, vel mẽs tẽtetur: tũ vel aquã, vel vi
nũ aquoſũ, & albũ, & haudquaquã
odorũ exhibere oportet: deinde pau

lum aquæ ſuperbibere. Sic enim vi-
ni potentia non tam facile caput &
mentem attinget. Sed in quibus af-
44 fectibus, aqua potui dãda ſit, & quã-
do plurima, & quando modica, ac
vbi frigida, & vbi calida, partim iã
diximus, partim vero ſuo loco dice-
45 mus. Cæterum de potionibus quæ
fiunt ex hordeo, herbis, vua, vel eius
corticibus, tritico, cneco, myrtis, ma-
lo punico, vel ex aliis quoq; rebus,
quando ipſis vti conueniat, ſeorſum
à ſingulis morbis dicemus, ad quem
locum compoſita quoq; medicamẽ-
ta ſeruamus.

DE BALNEIS.

46 LAuacri vſus in plæriſq; mor-
bis confert, idque in aliis qui-
dem morbis perpetuum eſt,
in aliis minime. Sed raro vtũ-
tur eo homines, ꝙ ipſum præparare
neſciunt. quippe in paucis admodũ
domibus, vel inſtrumenta vel mini-
ſtri apti inueniuntur. & niſi exacta
cura inter lauãdũ adhibeatur, haud
mediocre proueniet à lauacro ma-
lum. Etenim tegmine indiget æger

cui fumus non accedat:itē aquæ abū-
dantia,& crebra lotione,ſed quæ nō
ſit impetuoſa,niſi res ipſa ita exigere
videatur.Ac neq; abſtergere eū opor 47
tet. ꝙ ſi abſterſionis vſus aliquando
inciderit,calorifico aliquo,eodemq;
multiplici ſmegmate, pro ipſius cō-
ſuetudine, vtendum eſt. Perfundere
vero celeriter multam aquam opor-
tet. Via ad ſolium breuis ſit, vt & ac- 48
ceſſum,& exitum faciliorē prebeat.
Is vero qui eluitur decentem compo 49
ſitumq; gerat corporis habitum,atq; 50
taceat, ac ne ipſe quidem quicquam
faciat,ſed alii perfundant & abſter-
gant. deinde temperaturas multas
ꝑparent, & celeriter pfuſiones ipſas 51
expediant. Spongia pro ſtrigili vtā- 52
tur,vehementer exiccatum non vn- 53
gant. Caput adhibita ſpongia ter- 54
gendum, & quantum maxime fieri
poteſt, ſiccandum eſt. Extremæ mē- 55
brorum partes,& caput,ac reliquum 56
quoq; corpus, a frigoris iniuria tueri
debet. Neq; lauacro committendus 57
eſt is, qui nuper vel ſorbitionem vel 58
potionē ſumpſit. ac ne lauacro qui-

dem ilico vel ſorbere, vel bibere con-
59 uenit. Magnopere tamen laboranti
indulgendum eſt, ſi quũ bona adhuc
eſſet valetudine, vel amauit lauacrũ,
vel elui conſueuit. Quippe qui maio-
re lauacri deſyderio tenentur, ii ma-
ius inde præſidium ferunt, adeo ꝙ lę-
60 duntur quoq;, niſi lauentur. ¶ Peri-
pneumoniæ magis quàm ardoribus
auxiliatur lauacrum . namq; lateris,
pectoris, & dorſi dolorem mitigat,
ſputum maturat, & educit. ſpiritum
facilem reddit, fatigationẽ lenit, ar-
ticulos, & ambientem cutem emol-
lit, vrinam ciet, capitis grauitatem
ſoluit, nares humectat. Tanta ex la-
uacro proueniunt commoda, quibus
nimirum omnibus indigemus. Q̃d
ſi in apparatu, vel in re vnica vel plu
ribus quoq; tantum abeſt vt proſit,
vt etiam noceat, peccatum inciderit
(nam quicquid a miniſtris improbe
præparatum eſt, id citra noxam eſſe
61 non poteſt) qui per morbos citatio-
res ſunt aluo quàm fuerit oportunũ,
aut quibus ſupra modum aluus aſtrĩ
cta, non ducitur, ii lauacro communi

non debent. ac neque ii, quibus imbecillæ ſunt vires, aut qui faſtidio, aut vomitione affecti ſunt, aut qui biliosa ructant, aut quibus ſanguis è naribus profluit niſi minus, quam occaſio expetit effluat. Nec ignorare debes occaſiones. Etenim ſi occaſionis reſpectu, exiguus eſt fluor, abluendus eſt æger, ſiue vniuerſum corpus, ſiue caput dũtaxat, ita iuuari videatur. Igitur ſi ſingula cõmode parata ſunt ſi æger citra noxam lauacrum ſubire poteſt, quotidie lauãdus eſt. Quòd 62
ſi præterea lauacro delectatur, eum ſi bis quoq; laueris, non lædes. Santius 63
vero eſt eos lauacro vti, qui integrã ptiſanam, q̃; qui ſolum cremorẽ eius aſſumunt, & ſi his quoq; nõnunquam vſui eſt. Qui vero potu dũtaxat vtũtur, minime lauacrum ſubeant: quãquã horum nõnulli ab ipſo arcendi interdum non ſunt. Coniicere itaque oportet ex his quæ ſupra demonſtrauimus quibus lauacrum, & in quo victus genere, auxiliari poſſit necne, ſi enim quidpiã eorũ, q̃ ad lauacri bonitatẽ pertinent, deeſt, quãuis nõnihil

præſidii à lauacro ſperaueris, lauari
tamen non oportet. Quòd ſi nihil
horum deeſt, videaturq; ex notis qui
buſdam vſui fore, tũ lauari cõuenit.

LIBER QVARTVS CONTINET ea præcepta, quæ non Hippocratis propria, ſed ſpuria eſſe creduntur.

DE ARDORE.



Enæ æſtiuo tempore
2 exiccate, auellunt ad
ſeſe acrẽ, bilioſamq;
3 ſaniẽ. Vnde & vehe-
mẽs febris oritur, &
corpus fatigatiõe op
pſſum laborat & do
let. Accidit autem magna ex parte,
& ob longa itinera, & diutinam ſi
tim, quum exiccatæ venæ, acres, cali
daſq; fluxiões alliciunt. quocirca lin
4 gua fit ſcabra, arida, & pręnigra: ven
ter torminibus cruciatur, alui ſedimi
na liquida ſunt & pallida, vehemẽs
ſitis cruciat, ſomnus nequaquam ac-
cedit, interdum mens quoque turba-

tur.Huic & aquæ,& aquæ mulſæ co- 5
ctæ,quantum voluerit, potui dabis. 6
¶Quòd ſi amarulentum fuerit os,tũ
& vomere, & aluum eluere conue-
nit.ſi vero ne ab his quidem ſoluitur
ex aſinæ cocto lacte purgato. Nihil 7
vel ſalſum,vel acre exhibendum eſt. 8
non enim deſcendit.Sorbitiones do
nec morbus decretorios dies præte-
rierit, non dato. Quumq; ſanguis è 9
naribus fluxerit,ſudoreſq; decretorii
& legittimi fuerint atque in vrina al-
ba quædam & craſſa & leuia ſubſe-
derit,aut ſi alicubi apparuerit abſceſ- 10
ſus ſoluitur affectio. Quæ ſi nullo ho
rum apparente ſoluta fuerit, vel ite-
rum reuertetur,vel coxam, aut crura 11
dolor infeſtabit,& craſſa quędam ex
puet,ſi videlicet bonæ valetudini re-
ſtitui debeat.

ARDORIS ALIVD GENVS. 12

ALuus ſoluta eſt, vehemens ſitis,
lingua ſcabra,arida, ſalſa, vri-
næ defectus,vigilię extremę mẽ
brorum partes frigidæ. ¶Huiuſmo- 13
di ardor non finitur,niſi aut ex nari-

bus fluat sanguis, aut ceruici abscessus, aut cruribus dolor superueniat, atq; crassa sputa quis excreet (id quod astricta aluo solet accidere) aut coxæ dolor aut genitalium liuor appareat
14 aut testiculus intẽdatur: atq; hoc mo-
15
16 do solutam aluum ardor comitatur, Sorbitiones attractiuas dato. In acutis affectibus sanguinẽ detrahe, si vehemens videatur morbus & ĩfirmus
17 ætate floreat, abundetq; viribus. Igitur si angina fuerit, siue alius quispiã morbus vt costalis, eligmate etiamnum purgato. Quòd si ob multi sanguinis missionem, vires prostratum iri timueris, tertio quoq; die clysterẽ aluo iniice, donec in tuto fuerit ęger
18 & fame ĩdigeat. Inflammata pręcordia septum transuersum non ab inclusis flatibus intentum, vel ob flatuũ quoq; pręsentiam, arida suspiria, quĩbus pus non subierit sed vbi flatuum clausura huiusmodi affectus fiunt, potissimum vero iecoris dolores, lienis grauitas, ac reliquæ ĩflãmationes, itẽ septi trãsuersi dolores, & morborũ cõuersiones solui non possunt, si pro-

tinus ab initio medicamẽtis curatio-
nẽ aggrediaris. Nã p̃cipuũ in his pro
positũ eſt in primis ſanguinẽ detra-
here. deinde clyſterẽ exhibere, idq; ſi
magnus vehemẽſq; fuerit morbus. Si
vero nõ ita vehemens fuerit, medica
mento curatur, q̃d tu te, moderatéq;
miſſo prius ſanguine adhibendũ eſt.
Qui ſtatim ĩter morbi initia ĩflãma-
tiones medicamẽto ſoluere conãtur, 19
ii à diſtẽta, ĩflãmataq; p̃te nihil aufe-
rũt. affectus vero, vtpote crudus, non
remittitur, ac p̃tes ſanę morbo reſiſtẽ
tes, colliqueſcũt: quocirca morbus ĩ-
becillũ iã corpus vincẽs, curationi nõ
obedit. Si repẽte q̃s obmutuerit, is ve
narũ concluſione moleſtatur, id ſa- 20
no homini ſine occaſiõe, ac ſine alia
vehemẽti cauſa acciderit, dextri bra
chii internam venam ſecare opor-
tet, & pro habitus ætatiſque ratione, 21
ſanguinem detrahere, conſyderan-
do exuperantiam atque defectum.
Porrò ſic affectis, huiuſcemodi quo-
que caſus eueniunt, faciei rubor ocu- 22
lorum conſtantia, manuũ incontinẽ-
tia, dentiũ ſtridor, pulſus maxillarũ,

extremarum partium frigus & contractio, flatuum in venis conclusio.
23 ¶Superueniẽte ab atra bile dolore, acriq; ruente fluxione, internæ partes mordicus dolent, venæ vellicatæ aridioresq; factæ tenduntur, & inflãmatæ allicinnt ad sese ea quę affluũt quam ob rem corrupto sanguine, ita vt spiritus in ipso nequeant naturales meatus pertransire, frigora ob plenitudinem eueniunt: item obtenebrationes, taciturnitas, capitis grauitas, neruorum distentiones, idque præcipue si iam vel ad cor, vel iecur vel venam peruenerit. Hinc igitur comitiales morbi, & attoniti proueniunt si incontinentes sedes inciderint fluxiones, spirituq; egredi nequeunte, are-
24 scant. ¶Quapropter statim ab initio, adhibito fomento, sanguinem detrahere oportet, dum adhuc omnia infestantia, tum flatus, tum fluxiones suspenduntur, sic enim facilius vincuntur remediis. Deinde reficere, atque habita iudicationis ratione, nisi sursum ferantur, medicamentis purgare. Quòd si aluus astricta fuerit,

cta fuerit, clysterem iniice, & coctum asinæ lac exhibe, idq; plus quàm sedecies, si vires tolerare possint.

DE ANGINA.

Angina fit, quũ hyeme aut vere, multa eademque viscosa fluxio ad iugulares venas descẽderit, q̃ quidẽ, vtpote amplę, plurimũ ad sese spiritũ cóuellunt. Quũ itaq; fluxio quæ frigida, viscosaquæ est, & spiritus, & sanguinis meatus obstruxerit, quicquid sanguinis proximum est, figit, ipsum vero ĩmobilem, constantemq; efficit. quippe quæ suapte natura refrigerandi, obstruẽdique facultatem obtinet. Proinde suffocantur ęgri, lingua liuente, rotunda, & incurua, propter subditas ei venas. Præcisa enim vua (quam nonnulli columellam vocant) vtrinque crassę apparent venæ, quæ vbi ĩpletæ sunt, linguæ (quæ ob siccitatem rara, fistulosaq; est) innitũtur. Hæc deĩde vi coacta, ex venis humorem suscipit. quam ob rem latitudo in rotunditatem, coloris venustas in liuorem, mollities in duritiẽ per- 26

mutatur, vt quę facile antea flectebatur, curuari nequeat. Itaq; celeriter iugulat, nisi protinus iuueris, sanguinē ex brachiis detrahendo, deinde venas sub lingua secare, medicamento quod trahendi vim habeat purgare, calida gargarismata exhibere, caput radere eidemq; atq; ceruiciceratū imponere, lanis inuoluere, molli spōgia ex aqua calida expressa fouere, aquā egelidam, & aquam mulsam (sed ne hāc quidē frigidam) potui dare iusculum quoque tum exhibere oportet, quum iudicato iam morbo, in tuto fuerit æger.

ALIVD ANGINAE GENVS.

27 QVum p æstatem, aut autumnum, calida fluxio á capite destillauerit, eaq; nitri qualitatē imitetur, fueritq; (vt ab anni tempore) acris & calida: hæc quum huiusmodi fuerit, mordet, vlcerat, spiritu implet, orthopnœam, & ariditatem vehementem inducit. Partes aūt, quas visus cōsequi
28 potest, tenues apparēt. tendines ceruicis
29 cis posteriores adeo intēduntur, vt ri-

gidi videantur. vox abrūpitur, ſpiri-
tus paruus eſt, ſpiratio denſa violētá-
q; . Atq; ſic affectis arteria vlceratur, 30
pulmo ardet. Nanq; externū aerem
attrahere non poſſunt. Itaq; niſi ſua
ſpōte in exteriores partes huiuſmodi
affectus efferatur, grauiſſimum ineui
tabileq; periculum cōminatur. idq; ꝓ
pter anni tempus, & qđ a calidis acri
buſq; conſtat humoribus. ¶ Si febris 31
aliquē inuadit, vetere nondū deiecto
ſtercore, aut nuper accepto cibo, is, ſi
ue lateris dolor infeſtet, ſiue nō, quie-
ti permittendus eſt, donec ad imum
ventrem cibus primum deſcenderit,
ac ſubinde acetum mulſum in potu
ſumat. Quum vero grauitas ad lum- 32
bos vſq; deſcēderit, tum vel clyſterē
exhibere, vel medicamento purgare
conuenit mox a purgatione victū in
ſtituere, atq; in primis ſorbitionem,
deīde aquā mulſam. poſtremo cibos
piſces videlicet elixos exhibere, & vī
nū dilutū idq; exiguū, atq; noctu dū-
taxat. īterdiu vero aquā mulſam di-
lutā. Si flatus fœtidi fuerīt, balneū cō
uenit aut clyſter, niſi acetum mulſum

epotum obſtiterit , donec ad imum ventrem deſenderit.tum enim aluum ducere , iniecto clyſtere nihil prohi-
33 bet.Vbi ſoluta aluo,ardor acciderit, videaturq; medicamentum poſſe cõ-ferre,id intra tres dies exhibendum
34 non eſt,ſed quarto.¶Quum à vacuatione ſorbitiones exhibere volueris. obſerua febrium acceſſiones,vt neq; quum adſunt neque quum venturæ ſunt,eas ingeras,ſed quum iam finite ſunt,aut cõquieuerunt, & quum maxime ab initio diſtare videntur. Cæterum pedibus frigore affectis , neq; ſorbitionem,neque aliud quicquam dato,ſed maximũ te præſidium attuliſſe putato,ſi donec percalfacti fuerint expectaueris,deinde ſic vtile qd-piam exhibueris:ſiquidem refrigerati pedes magna ex parte iam affuturam febris acceſſionem ſignificant. Quo tempore ſi cibum ingeſſeris, omnia maxime errore turbabis , vt qui non parum auxeris morbum.At quum febris quieuerit,tum econtrario pedes reliquo corpore fiunt calidiores.Aucta enim febris pedes ipſos

refrigerat,atque ex thorace incenſa, mittit flammam in caput.Igitur vniuerſo calore cōfertim ſuperiores partes petente,euaporanteque in caput, nihil mirum eſt,ſi pedes īfrigidātur. quippe qui ſuapte natura ,vt carnis expertes ſunt,ita neruis abundant,ac non parum diſtant á calidis ſedibus. itaque collecto in pectore calore ipſi refrigerantur.Sic haud abſimili ratione,victa,quieſcētéque febre calor in pedes deſcendit,atq; hoc tempore,& caput,& pectus refrigerātur,ac tum cibus dandus.Cuius rei cauſam ſic accipe.Nam occupante pedes frigore, ventriculum calidum,& faſtidio affectum,atq; præcordia intēta eſſe neceſſe eſt.quinetiam corpus ob internam turbationem iactatur,mens ſuſpenditur,dolores infeſtant,æger diſtrahitur,vomere affectat,quumq; vitioſa quędam vomuerit,dolore affligitur.Ergo quum in pedes calor deſcenderit,niſi ſudare videatur, emiſſo prius lotio,ſorbitionē dare oportet,alioqui pernicioſam.Quibus per febres aluus aſſidue ſoluta eſt iis vti-

lius eſt pedes calfacere, ceromata adhibere, & faſciis inuoluere: nec vnquam committe vt reliquo corpore ipſi ſint frigidiores. vbi vero calent, calorificis opus non eſt. ſed ne infrigeſcant cauendum eſt. deinde vel aqua frigida, vel aqua mulſa, eaque perexigua,
36 potui danda eſt. Febricitantes non pauci, quibus aluus liquida eſt, & mẽs turbata, flocos decerpere, nares fodere, interrogati paulum reſpõdere, neque ſua ſponte quicquam aptum dicere ſolent. Hæc (vt opinor) ad atram bilem pertinent. quibus in hunc modum ſe habentibus, ſi ob aluum ſolutam homo cõſumi videtur, ſorbitiones (mea quidem ſententia) frigidiores, craſſioreſque potiones vero reprimentes, & magis vinoſæ, aut aſtringentes exhibendæ ſunt. Quibus inter febrium initia, vertigines & capitis pulſationes accidunt, fuerintque vrinæ tenues, iis febris impetus apud iudicationem expectanda eſt. quòd ſi tum delirant, nihil mirandum eſt.
38 Quibus incipiente morbo vrina craſſa eſt, aut veluti nubeculæ in ipſa ſu-

ſpenduntur, eos purgare conuenit, ſi nihil aliud obſtiterit. Qui vero tenues vrinas ab initio mingunt, medicamento purgandi non ſunt, ſed clyſterem exhibendo, eos curare in hunc modum oportet. corpus quieti pmittere, mox & vngere & æqualiter cōponere, aquam mulſam dilutam po 39
tui dare, ad veſperam ptiſanę cremorem ſorbere, aluum ab initio clyſtere ducere. Sed medicamētum eis dādū non eſt. ſi enim aluum citaueris, nō maturabitur vrina, ſed febris diu ſine ſudore permanebit, & poſt longum quoque ſpacium finietur. Neque ſorbitiones per tumultum, quū 40
ſcilicet proxima fuerit iudicatio, dare, ſed donec inclinetur, & in melius tendat febris, eas ſeruare oportet. Omnium præterea febrium iudicationes conſyderandæ ſunt. nam eo tempore (vt iam didiciſti) ſorbitiones ſunt auferendæ. Si longæ fuerint huiuſmodi febres, ægri abſceſ- 41
ſus habere ſolent, idque ſi aurium imæ ptes, ceruixq; frigeſcat. Si vero nō afficiatur frigore, alia erit febriū

mutatio. nam & ſanguis fluet è narī-
bus, & ventres eorum turbabuntur.
Quibus moleſtæ febres ſunt, & præ-
cordia tenduntur & in cubili contine
re in eodem ſe poſitu nequeunt, atq;
extremæ membrorum partes infrigi
dantur, ii multa omnino diligentia,
& accurata obſeruatione indigent.
atque ſic educandi ſunt, vt nihil aliud
quàm acetũ mulſum eis exhibeatur.
ſorbitiones nequaquã offeras, donec
morbus finiatur & maturetur vrina.
in obſcuro cubiculo decumbere de-
bent, & ſtrato perquã molli: diu eun-
dem poſitum tolerare, & haudquaq;
44 ſeſe iactare, quo præſidio nullũ aliud
ſalubrius eſt. deinde prçcordia ex linī
ſemine linere, cauendo ne dum illi-
nuntur, frigus horrorem citet. ipſum
vero tepidum eſſe debet, quãtum ma
xime poteſt, Coquitur autẽ ex aqua
45 & oleo. Quid autem futurum ſit, ex
lotio coniicere oportet. vt enim craſ-
ſum pallidũque melius eſt, ita peius
eſt id quod vel candicat vel nigrum
46 eſt. Varium vero lotium, diuturniorẽ
fore morbum ſignificat, cuius inçqua

litatē, modo ad peius, modo ad me-
lius conuerti neceſſe eſt. Inconſtantes
febres ſinere oportet, donec in ordi- 47
nem redigantur. deinde & victus ra-
tionem & aptam curationem eis op
ponere, non neglecta naturæ contem
platione. At quia variæ ſunt ægrorū 48
facies animaduertat medicus ne vllæ 49
ipſum occaſiones lateant, ſiue ad con
ſyderationem illæ pertineant, ſiue ad
numerum vel parem vel imparem re
referantur. Maxime vero impares 50
dies metuēdi ſunt, qui videlicet ęgros
in diuerſas affectiones diſtrahere, cō
ſueuerunt. Obſeruandus itaque pri- 51
mus dies eſt quo debilior factus eſt la
borans cōſyderando initium, ex quo
& vnde acciderit, id enim pręcipuum
eſſe putatur qđ ſcire oporteat. Itaq;
interrogando ipſum, hęc omnia per
pendere debes. In primis quidem ca
pitis affectionem, an dolore, grauita
teq; infeſtetur, deinde pręcordia & la
tera: hæc quidem, nullo ne dolore cru
cientur, illa vero nū laborēt, aut ſuſpē
dātur, aut intorqueātur, aut ſatietate
grauentur, an latus doleat, an ſimul

cum dolore, tuſſis, aut tormina, vel ventris dolor infeſtet. Quòd ſi horū quidpiam acciderit, potiſſimum in præcordiis, aluus ſoluēda clyſteribus eſt, & aqua mulſa eáq; cocta calidáq; potui detur. Pręterea dicere oportet, an exurgentem animus deficiat, an ſpiritus facile feratur. Ad hæc alui quoq; ſedimina inſpicere, an nigro admodum colore infecta ſint, an ſyncera ſint,[3] qualia ſcilicet ſanus deiicere conſueuerat. an febris tertio quoq; die magis irritetur, qppe in his morbis accuratæ conſyderandæ ſunt huiuſmodi tertianæ afflictiones. Quin etiam alia quędam aſpicere oportet. Nam ſi dies quartus, in aliquo iā dictorum, tertio fuerit ſimilis, ſcire licet infirmū in periculo verſari. Sunt pręterea alia ſigna, vt nigra excremēta, quæ mortem: ſi vero per omnes dies qualia in ſanitate deiiciębātur, appareant, bonā valetudinem denūciant. Si dum glans ſupponitur aluus non
52 obedit, ſed ſpiritus facile fertur: ſi ægrū, ſiue erectus in ſede, ſiue in ipſo quoque cubili iaceat, animus deficit

hęc siue mari siue fœminę acciderint futurum delirium expectato. Manus 53
etiam consyderandæ sunt, quæ si tremũt, sanguis ex naribus fluxurus est. Deinde nares quoq; aspiciãtur. nam
si æqualiter per vtrasq; multus spiritus trahitur, neruorum fere distentio 54
superuenire solet. Id vbi acciderit, in propinquo mortem esse testatur, quã prædixisse perpulchrũ fuerit. Si hye-
mali febricula laboranti, lingua scabra sit, animusq; deficit, quamquam quietior febris videtur, nihilominus tamen imperari debet inedia, ab aqua quoque, & aqua mulsa, atque cremore arcendus est. febribus enim quibus hæc accedunt signa, haud quaquam fidendum est, vtpote à quibus mortis periculum pendet. His igitur accurata perpensio consyderatis, in hunc modum (si placet) præsagire poteris. Quum vero 55
terrificum quidpiam febribus superuenerit, fuerintque ipsæ quintanæ, & aluus de repente liquida quædam excernit, acceditque animi defectio, & taciturnitas, & neruorũ distentio, 56

& ſingultus, ab his angor euenire ſolet, ac ſudor circa muſtacem, frõtem, & ceruicem ab occipitio. Qui ſic affecti ſunt, paulo poſt inflati moriẽtur.

57 Quibus per febres circa crura orta tubercula, tractu temporis nõ maturãtur, perdurante etiamnum febre, ſi faucibus iampridem extenuatis ſuffocatio acceſſerit, neq; extincta fuerĩt tubercula, iis ſolet ſanguis è naribus fluere: qui ſi plurimus eruperit, morbum ſoluit: ſi vero non ita multus, lõgum fore morbum ſignificat: & quo minus fluxerit eo peior, & diuturnior erit ægritudo. Vbi vero cætera quidẽ ſecuriſſima fuerint, pedũ dolores expectandi ſunt. Pede itaq; ſic affecto, ſi aſſidue dolens inflammetur neq; leuetur dolor, paulo poſt ad ceruicem, iugulum, humerum, pectus, articulum (nam & in hoc tubercula expectari debent) dolores peruenient. Quibus extinctis, ſi manus vlcerantur, aut tremiſcunt, neruorum diſtentio & delirium ſuperuenit, in ſuperciliis puſtulæ, ruboreſq; naſcuntur, gena altera ad alteram ex latere germinat', dura

inflammatio infeſtat.oculus vehemē
ter tumet,delirium valde intenditur.
Atqui delirii ſigna , noctu magis , q̃
interdiu notantur. Atq; huiuſcemodi
ſignorũ plura,diebus imparibus ma
gis q̃ paribus deprehenduntur,quãq̃
vtrolibet eueniant nuro , pernicioſa
cenſenda ſunt.Hos ſi à principio me- 58
dicamentis purgare decreueris , ante
diem quintam id facere oportet,ſi vi
delicet murmurauerint inteſtina, nul
lo vero percepto murmure, à medi-
camentis abſtinendum eſt . Quòd ſi
murmurante ventre,excremēta quo-
q; fuerint bilioſa,exhibito ſcamonio
modice purga. deinde(quod ad reli-
quam curationem pertinet)potiões,
ſorbitioneſq; exiguæ offerendæ ſunt,
quo melius valeat infirmus , niſi for-
taſſe diem decimumquartum exceſſe
rit. Quum febricitans aliquis,die de- 59
cimoquarto obmutuerit,is non ſolet
celeriter aut ſolui aut à morbo libera
ri.quum vero eadem die apparuerit,
longius procedit. Si febricitanti quar
to die lingua conturbata quędam diſ
ſerit,& aluus excernit bilioſa,& liqui 60

61 da, is fere delirabit. Sed accurata obſeruatione conſyderanda ſunt ea quæ accidunt tum æſtate, tum autumno, idque in morbis acutis. Nam ſi ſanguis ſubito deſtillauerit, robur, & venarum inflammationem declarat, & quòd poſtero die vrina tenues apparebunt, quòd ſi tum vigeat ætas, fueritque corpus ob exercitationes bene corporatum, aut melancholicum, aut manus ob potationem tremulæ, haud abſurdum fuerit, aut delirium, aut neruorum diſtentionē
62 præſagire. Id vero ſalubrius eſt ſi paribus eueniat diebus, quippe in decretoriis pernicioſum eſt, niſi multus ſanguis. confertim aut per nares, aut per anum effuſus, exuperantem plenitunem finiat, aut abſceſſum, vel dolores, præcordiorum, teſticulorum, aut crurum inducat. Quibus ſolutis, redduntur ſputa fluuntque vrinæ craſſæ,
63 leues, candidæ. Si febrienti ſingultus accidit, laſer, daucum tritum ex aceto mulſo potui detur, item galbanū ex melle, & cuminum in eligmate. mox ab iis ptiſanæ cremorē ſorbeat.

quãquam nulla ſalus per huiuſmodi
affectum ſperanda eſt, niſi vel ſudo-
res decretorii, aut ſomni æquales ſu-
peruenerint, aut vrinæ craſſæ, acreſq;
effluxerint, aut apparuerit abſceſſus.
Ex cocalo, id eſt, fructu pini, & myr- 64
rha eligma eis exhibendum eſt, ſed
aceti mulſi perquam exiguum. quòd
ſi admodum ſiti crucientur, aquam 65
hordei bibant.

DE PERIPNEVMONICIS & pleuriticis.

IN peripneumonia & pleuritide 66
q; acuta ſit febris, conſyderãdum
eſt. item ambò ne latera, an vnũ
duntaxat dolor infeſtet, an ægre ſpi-
ritus reddatur, an tuſſis cruciet, an
ſputum educatur, ſitque vel rufum
vel liuidum, vel tenue & ſpumoſum
& floridum, aut ſi alias quaſdam dif
ferentias præter iam declaratas ha-
buerit, eas ſic diducere oportet. Si do
lor ad ſuperiores partes extenditur,
vt iugulum mammillam, brachium,
internam brachii venã ſecare opor-
tet, ab eo videlicet latere qđ dolore 67

fuerit affectum, & pro corporis habitu, & anni tempore, & ætate, & colore, sanguinem detrahere, vtq; copiosior sit purgatio, si dolor fuerit acutus, ad animi defectionem ducere. Postea clysterem exhibere. si vero sub
69 pectore pleuriticum dolor vehementer cruciat, venter purgandus est. atq; inter purgãdum quidem nihil, à purgatione vero acetũ mulsum dare conuenit. Porrò die quarto purgandum: sed tribus ab initio diebus clysteres exhibere, quibus si dolor leuatus non
70 est, tum demũ purgare oportet. Caute tamẽ obseruandum est dum febris soluatur. septimusque dies prætereat. deinde si æger in tuto eẽ videtur, tum exiguum, tenuemq; cremorem, eũq; melle conditum in primis exhibere. deinde si facile reducitur, & bene spirat, & latera dolore vacant, paulatim crassiorem, ac liberalius (nempe eadẽ
71 die bis) dare non erit alienum. ¶Si vero non facile liberari posse videatur, tum minore potione, exigua sorbitione, & cremore tenui vtatur, idq; semel dũtaxat, ea videlicet hora qua

melius degit: hanc vero ex vrinis deprehendes. Sorbitio enim in huiusmodi morbis exhibenda non est, donec & vrinæ, & sputa maturescere videantur. Si medicamento quis purgatus creberrime deiicit, eum parcius, ac magis tenuiter alere oportet. is enim, obstante vacuatione, neque dormire, neque concoquere, ac neque iudicationem sustinere potest, sed postquã cruditas colliquata fuerit, & quæ restiterunt abiecta, tum nihil prohibebit pleniorem ei cibum exhibere. At vero scire licet sputum. tum esse maturum, quum pu- 72
ri simile videtur: vrina vero quum id quod residet, sicut eruum subrubrum est. Cęterum nihil prohibet ad alios quoque laterum dolores, tepida fomenta, & ceromata adhibere, atq; crura, & lumbos, calido vnguento vngere, & pinguedinem illinere: præcordiis vero ad mãmillas vsq; ex lini semine cataplasma ĩponere. Quũ ad vigorem iã peruenit peripneumonia, nisi expurgetur, in nullo auxilio sperandũ est, quidpe q̃ mala est, præ-

ſertim ſi difficulter ſpirat æger, fuerintq; vrinæ tenues & acres, atq; ſudores in capite, ceruiceq; oriantur. Eiuſmodi enim ſudores mali ſunt, obvincentis morbi ęſtum, impetum, ac violentiam, niſi vrina multa, & craſſa eruperit, & ſputa matura procedãt. vtrumlibet enim ſi ſua ſponte ſupuenerit, ſoluẽdi morbi vim obtinet.

ELIGMA AD PERIPNEVmoniam.

73 GAlbanum & coccalus, id eſt pinearum nucleus, ex melle attico. Abrotonum ex aceto mulſo. Item pleuritico piper, veratrum nigrum coquito, & in principio quum infeſtat iam dolor dato. Prodeſt etiam panace ex aceto mulſo cocta, deinde percolata, & potui data. Similiter & hepaticis & renum doloribus, ac vbi aluus citanda eſt, aut vrina, ex vino
74 & melle. Quæ vbi ad ventrem exhibentur, magna ipſorum quãtitas ex aqua mulſa diluta in potu ſumatur, Sic etiam ſedabis dyſenteriam, ab-

ſceſſum, alioſque quoſdam tumores, niſi vel in febres vel ſudores (apparētibus vrinis craſſis, albis, dilutis) vel in tertianas vel varices tranſierit, aut in teſticulos, aut crura, aut coxam, dolor tanq̃ ad firmam ſtabilemque ſedem permutetur. Si ante ſeptimũ 75
diem febricitanti ſuperueniat morbus regius ſimul cum horrore, ſoluitur febris. ſi vero ſine horrore, atque extra occaſiones ſiue extra tempora acciderit, perniciem denunciat. Lum 76
borum rigores, ac ob atram bilem factæ ſpirituum interceptiones detracto ſanguine ſoluuntur. Sed quum 77
per tendines vehementer in anteriorem partem retrahuntur, ac ceruix, & facies ſudauerit, vtpote vellicatis, aridiſque ob laborem tēdinibus, caudæque vinculis, quæ videlicet craſſiora quum ſint, ſpinam continent, vbi maxima vincula exorta, ad pedes vſque tendunt, ibique finiuntur. Qui ſic afficitur, ſi neq; febris neq; ſomnus ſuperuenerit, ſed ſequatur vrina coctionem ſignificans, atque ſudores decretorii, is vinũ creticum vinoſum

epotet, edat polentam coctam, cera-
to vngatur illinaturq́; , crura in ſca-
pha, prius calida aqua perfuſa, ad pe-
des vſque inuoluat. item brachia vſ-
que ad digitos. Spinam etiam & lum
bos á ceruice incipiendo ad coxas,
mollem pellem ſaliua ſubigens, vt
exteriores, quoque partes contine-
at. Relictis deinde fomentis, vter
aqua calida plenus ac lintheo tectus
adhibeatur. Aluus non admodum
ſoluenda eſt. ſatis enim fuerit glan-
dem ſupponere, vbi ſcilicet iampri-
dem fuerit aſtricta. Quòd ſi nihil in
melius proficere videatur ταμολα
modi radicem tritem ex vino odora
to, & daucum, mane ieiuno, ante fo
menta, potui dato, idque celeriter de
inde polentam coctam, tepidam, li-
beraliter comedat, bibatque vinum
temperatum quum voluerit, atq; ſic
78 fortaſſe melius valebit. Sin minus,
ad prẹſagium refugere oportet. Mor
bi ſoluuntur, aut per os, aut aluum,
aut veſicam, aut aliquã aliam huiuſ-
79 modi particulam. Sudoris vero ſpe-
cies omnibus communis eſt. Veratro

purgare oportet eos, quibus a capite
deſtillatio fertur. Quibus vero vel ab 80
ſceſſus, vel venę ruptura, vel intempe
rantia, vel alia aliqua vehemens cau-
ſa, ſuppurationem fecit iis veratrum
haud quaquam dandum eſt, quippe
quod tum nihil pręſidii affert. etenim
ſi ob aliam forte cauſam, æger quid-
piam paſſurus eſt, id omnino ad ve-
ratrum referetur. Si vero corpus reſol
uitur, aut caput dolet, aut obſtructæ
ſunt aures, aut nares, aut ſputum nō
redditur, aut genua grauitate infeſtā
tur, aut corpus præter conſuetudinē
intumeſcit: quicquid eiuſmodi accide
rit, ſiue ob potationē, venerem, mœ-
rorem, curas, ſiue vigilias: quodcūq;
horum cauſæ rationem habuerit, ad
ipſum curationem dirigere oportet.
Dolores qui ab itinere proueniūt, vel 81
ī lateribus, aut dorſo, aut lumbis, aut
coxis, ac ſi aliquis inter ſpirandū do-
let, aliqua habita occaſione (nam ſæ-
penumero lumboꝝ, coxarumq; dolo
res ex crapula, & cibis inflantibus, ꝓ
uenire ſolent) itaq; qui huiuſmodi ac
cidentibus afficiuntur, vrinā difficul-

ter reddunt. Horum omnium cauſæ eſt iter, ac præterea deſtillationum quoq; & raucedinis. Sed quæ ob victus rationem eueniunt, horum multa vnuſquiſque, vt in victu à conſuetudine maxime aberrauit, ita apertiſſime declarabit. Etenim qui prandere non conſueuerunt, ſi pranſi fuerint, venter eorum intumeſcit, ſomnolenti redduntur & pleni. Quòd ſi præterea cœnauerint, venter ipſi turbabitur. quibus vtile fuerit à balneo dormire, expergefactis vero circuitione lenta illa quidem, ſed crebra, inambulare, deinde deiectis a lui oneribus, paulum vini meraci aſſumere. Si vero aluus non fuerit ſoluta, calido vnguento corpus vngere debent. mox vinum dilutum, album, aut dulce (ſi ſitiant) bibere, atque ſic conquieſcere. Reliqua vero victus ratio haud ſecus, q̃ vbi crapula aliquem læſit, inſtituenda eſt. Potiones, dilutæ quidẽ, tarde permeant, circũducuntur, & ſupernatant in præcordiis, nec vrinam mouent. Qui huiuſmodi potione plenus eſt, nullum opus, quod videlicet

eliquato iam corpore, aut vi, aut celeritate aggrediendum ſit celeriter pficere valet. Itaq; à cibo donec cum coctus fuerit quieſcere oportet. Meraciores vero, auſterioreſque potiones, corpori cremorem, & capiti pulſationem inducunt. Proinde ſi affectus ſuperdormire debet, & calidũ aliquod iuſculum quod q̃; iucundiſſimum ei videatur ſorbere. vix enim citra noxam tolerat ieiunium is quem capitis dolor & crapula ĩfeſtat. Qui vero ſemel dũtaxat comedũt, ii imbecilli ſunt & calidam emittunt vrinam, vtpote præter conſuetudinem exinaniti, os ipſis ſalſum redditur, & amarũ, & in quo vis opere contremiſcunt, tempora tẽduntur, cœnam cõcoquere non pinde poſſunt, ac ſi pranſi fuiſſent, quocirca minus quàm conſueuerunt, bibere debent. Et liquidiorem mazã, panis loco aſſumere. ac ex oleribus rumicem aut maluam aut betam, item ptiſanam. Atque dum cibantur, vinum modicum bibere, idq; dilutius, à cœna parum ambulare donec vrina defluat & mingant. Neque

inutiles sunt eis pisces elixi. Cæterum
83 ex cibis hi maxime notantur vt insi-
84 gnes. Allium flatum efficit, pectus cal
facit, caput grauat, fastidium parit,
dolorem qui antea infestare consue-
uit, irritat, vrinā ciet. atq; hæc est eius
vtilitas, sed tum maxime conducit,
vbi quis vel potationi, vel ebrietati i-
85 dulgere proposuerit. Caseus, flatum
inducit & angustiam, cibos accendit,
cruditatem parit, & coctioni resistit.
his vero qui potu se repleuerunt, non
86 alius cibus nocentior est. Legumina,
& cruda & cocta & fricta, & macera
ta, & viridia, omnia flatum excitant,
quam ob rem (nisi cū aliis cibis) ipsis
vtendum non est. Pręterea singulę spe
87 cies sua habent vitia. Cicer siue crudū
siue frictum, flatum laboremq; parit.
88 Lens, non detracto cortice, astringit,
89 tumultumq; efficit. Lupinum vero ab
90 horum viciis vel minimis, quàm ma-
xime abest. Laserpitii tum caulis, tum
succus, vt quibusdam maxime, ita in-
91 expertis minime aluum ducit. nomi-
92 natur vero arida cholera. Id vero po-
93 tissimum accidit, vbi cum multo ca-

ſeo, aut bubu'arum carnium edulio
miſcentur. Quippe bubulæ carnes at
trabilarios excitant morbos. ſupera-
ri enim natura nõ poteſt, ſed ventrẽ
non mediocriter lędere natę ſunt, vt
pote coctu difficiles. quãquam facilli 94
me deſcẽdunt, ſi coctis ipſis, vetuſtiſq;
quis vtatur. Caprinę carnes magis cõ 95
ducere viderẽtur, niſi oĩa bubularum
carniũ vicia haberẽt. Nã & coctu dif-
ficiles ſunt, & flatum magis ſuſcitant
& ructum bilemq; pariunt. Igitur vt
odoratiſſimæ & ſolidę & ſuauiſſimæ
ſaluberrimæ ſunt, ſiue coctæ, ſiue fri-
gidæ, ita iniucundæ odore graues, &
duræ peſſimæ ſunt. Nec ſecus de re-
centibus dicendum eſt. Præterea vt
per æſtatem optimæ ſunt, ita per au
tumnum, vt peſſimæ damnãtur. Por 96
cinæ carnes, ſiue ſubcrudæ, ſiue am-
buſtæ ſunt, malæ ſunt. Nam & bilem
pariunt, & turbationẽ Suillis, nullæ
aliæ carnes meliores ſunt, idque ſi nõ
admodum pingues, neque etiam per
tenues ſint, ac neq; veteris victimę ęta
tem ſint aſſequutæ. At vero reiecta 97
pelle, & ſubfrigidę edẽdę ſunt. Arida

cholera ventrem inflat,ſtrepitum & dolorem,tum laterum, tum lumborum excitat. aluus nihil deiicit, ſed
98 aſtringitur.Eum qui ſic affectus eſt obſeruare oportet ne vomat,ſed aluus ducenda eſt.Proinde ex aqua calida, eaq; quám pingui clyſterem adhibe: mox perunctum in aquam calidam demitte,ita vt decumbere poſſit,ac paulatim calida aqua perfunde. Si enim ſic calfacto aluus ſubducitur,
99 haud dubie ſoluitur morbus. Hunc ſomnus quoq; iuuat,ac biberevinum
100 tenue vetus, idque meracius. Dabis
101 etiam oleum,vt & quieſcat,& aluus ſubducatur, atq; ſoluatur affectus. à
102 reliquis vero cibis arceatur. Quòd ſi dolor nō remittitur,lac aſinæ,donec
103 purgetur,potui dandum eſt. Soluta aluo,ſi bilis deiiciatur, & tormina, vomitiones,ſuffocationeſq; infeſtāt, quieſcere oportet mox aquam multam bibere & vomere.

DE AQVA INTER CVTEM.

104 AQuæ inter cutem duo ſunt genera,vnū ſubcarnoſum: id homi-

nem, quũ aggreditur, ineuitabile eſt. Alteꝝ ex flatibus conſtat, quod multa, eaq; bona fortuna indiget maxime vero erumnis fomentis, temperãtiaq; curatur. Igitur ſic affecto aridos, acreſque cibos exhibere oportet, ita enim citiſſime reddet vrinam, & per quam fortis efficietur. Quòd ſi ſpiritus quoq; difficulter redditur, idque verno tempore, & in ætate vigoris, fuerintq; vires valdæ, ex brachio ſanguinem detrahere, mox calidos panes, ex vino nigro ac oleo ſubmerſos edere, atq; vt potionem maxime minuere, ita plurimum exercitari conuenit. Carnes vero ſuillas eaſque craſſas ex aceto coctas edere vt arduas in ambulatiões tolerare valeat. Qui vẽtrem inferiorem calidum habent, at 105
que excrementa acria & inequalia deiiciunt, ii ob eliquationem ſic afficiuntur. quòd ſi valeant vires, albo veratro diuertenda ſunt: ſin minus, frumentacei tritici cremor craſſus, frigiduſque, & lenticula, & faba, & panes ſubcinericii, & piſces exhibendi ſunt. febricitanti quidem elixi non febri

citanti vero, aſſi.atq; huic vinum ni-
grum, illi vero aquam aut à meſpi-
lis, aut myrtis, aut malis, aut ſorbis,
aut palmulis, aut labruſcæ flore dare
oportet. ¶ Si vero non febricitantẽ
tormina cruciant, in primis quidem
106 paulum lactis bubuli calidi dandum
eſt, deinde augenda eius quãtitas eſt.
Item lini ſemen & triticea polenta.
Ægyptia quoq; faba decorticata, ma
didaq;, amara parte abiecta, potuĩ
detur. Edat vero oua aſſa ſemicon-
creta, ſimilã, milium, chondrũ ex la-
cte coctum. Hæc, facta prius decoctio
ne refrigerentur, ac ſic deinde come-
dantur. Quòd ſi aliæ quædã vel eſcæ
vel potiones iis ſimilẽtur, ipſæ quoq;
exhibeantur. Id vero maxime perti-
107 net ad victus rationem, vt obſerues
caueaſq;, tum in acutis tum diuturnis
ægritudinibus, acceſſiones, inclina-
tioneſq; febrium, vt quo tempore ci-
bus exhibendus ſit deprehẽdas. item
quando plurimum ab impetus vehe
mentia abeſſe videntur. Ac conſyde-
108 rare quoq; oportet capitis dolores,
aut ab exercitatione, aut curſu, aut

itinere, aut venatu, aut alia quadam intempestiua ambulatione, aut venere prouenie̅tes. item decoloratos, raucos, splenicos, exangues, suspiriosos, sicca tussi laborantes, sitientes, flatuosos, venarum clausuras, intenta præcordia, dorsum & latera, ite̅ torpentes, obscure videntes, aurium tinnitu vexatos, vrinam non continentes, regio morbo affectos, cruda per aluum deiicientes, sanguinem è naribus, aut sede profundentes, & inflatos, & quos fatigatio veheme̅ter infestat. Eos itaq; (si dictas affectiones vincere nequeunt) haudquaqua̅ medicamento purgabis. nam & periculo ægrum expones, & nihil iuueris, & spontaneas etiam iudicationes, liberationesq; i̅pedies. ¶ Si sanguinis detractio cuipiam conducere videa- 109
tur, aluus in primis astringenda est, postea vero sanguis mitte̅dus est. famem quoq; instituere & vinu̅ auferre oportet. deinde dece̅ti victus ratione, & fome̅tis & persusionibus reliqua̅ curatione̅ pfice. Si vero astricta 110
fuerit aluus, molle̅ adhibe clysterem.

111 ℭ Quòd si medicamento opus esse animaduerteris, exhibito veratro, per superiores partes tuto expurga, sed per inferiores horum neminem.
112 Ac mirifice prodest, vrinam ciere, sudores excitare, inambulare, leniter perfricare, ne videlicet habitum reddas densiorem, id quod alii, ipso prono in cubili iacente, facere debent.
113 Si supra septum transuersum pectus afficiatur, æger, vt magna ex parte sedere, ita nequaquam decũbere debet, vt (quoad vires permiscerint) sedens calido fomento perfricetur. At imum ventrem sub septo trãsuerso, infestante dolore infirmus neq; moueatur, neq; fricetur, sed quietus iacere debet.
114 ℭ Quæ ab imo ventre per vrinas, sudoresq; resoluuntur, si per se modice labuntur: debiles quidem affectus discutiunt, vehementes autẽ nõ tã facile. quippe qui ita laborant, aut pereunt, aut sine malis aliis sanari non possunt. nam confirmari solent eiusmodi affectus,

AD AQVAM INTER CVTEM.

CAntarides tres, abiectis pedi-
bus,& capite,teruntur in aquæ
cyatis tribus, atque ieiuno po-
tui dantur. Quód ſi dolor potantem
affecerit,calido fomento perſudatur.
deinde vnctus panem edat ex oleo.

SANGVINEM SVPPRIMENTIA.

FIci ſuccum lana ſuſceptum, in- 115
tus ad venam adhibe.aut inuo
luto coagulo nares obſtrue.aut
chalcitim adhibens,digito cõ-
prime extrinſecus compreſſis vtrinq;
cartilaginibus, aut ventrẽ cocto aſi-
nino lacte ſolue. Item deraſo capiti
refrigerantia impone,ſi videlicet ca-
lido id tempore contingat. Seſamoi-
des ſeſquidrachmæ pondere tritum,
ex aceto mulſo potui datum, per ſu-
periores partes expurgat. Admiſce-
tur quoq; veratris:vt tertiã faciat po
tionis partẽ, atq; ſic minus ſuffocat.

DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS FINIS.

¶ GALENI ARS MEDICINALIS, INTERprete Nicolao Leoniceno.



Res sunt oẽs doctrinę q̃ ordini inherẽt. Prima quidẽ ex notione finis, quæ per resolutionẽ fit. Secũda ex cõpositiõe cõstat eoꝝ q̃ ex resolutione fuerit inuẽta. Tertia ex diffinitiõis dissolutõe, cui nũc ĩcũbimus. Licet aũt huiuscemodi doctrinã appellare, nõ tñ diffinitiõis dissolutionẽ, sed & explicationẽ vt nõnulli, vocarunt, vel resolutionẽ, vel diuisionẽ, vel (vt nõnulli alii) explanationẽ, vel expositionẽ, vt alii. Conati sunt & Herophiliorũ qdã talẽ facere doctrinã, quẽadmodũ Heraclides Erythricus. Conati sunt & eã q̃ per cõpositionẽ, & ipsi Herophilii, & qdẽ Erasiparticulati, & ĩ pluribus cõstrati sectatores, & Atheneus Ataleus Neminẽ tñ ante nos ea quę oritur à notione finis scri-

pſiſſe comperimus, ex qua oẽs artes via quadam, atq; ordine conſtituuntur: ſed illam quidem alio pertractauimus loco. Hic vero diffinitiuã faciemus doctrinã quæ quantũ ab ea quæ ex reſolutiõe cõſiſtit, & dignitate, & ipſo docendi ordine linquitur, tantũ & ad totius compendium, & ad ſingulorum memoriam præſtare inuenietur. Sufficiẽter enim facillime memoriæ cõmendãtur ex diffinitionis diſſolutione vniuerſa. Quoniam totius artis capita in ſe optima diffinitio cõplectitur, quã quidam ſubſtãtialem vocant, ex aduerſo diſtinguẽtes aliis, quæ notionales appellantur. Illæ ſiquidem ab his quæ accidũt rebus diffinitis, hæ vero ab ipſa eſſentia conſtituuntur. Elaborata autẽ eſt à nobis particulatim & in pluribus conſcripta tractatibus totius medicinæ cõtẽplatio, quibus vti quis poſſit ad triplicẽ doctrinã. Nũc vero diffinitiuã aggrediemur, hoc vnũ præfati, quod ſolũ capita, & quædã veluti cõcluſiones eorum, quæ alibi latius ſunt demonſtrata, nunc à nobis dicentur.

Quid eſt medicina. Cap.ii.

MEdicina eſt ſciētia ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorum. nihil vero differt & ſi qs ægrotum dixerit. Nomē vero ſcientiæ cōmunius, nō autem propriæ accipere oportet. Salubre autē, & inſalubre, & neutrum, vnūquodq; tripliciter dicitur. hoc quidē vt corpus, hoc autem vt cauſa, hoc vero vt ſignum. Etenim corpus, qđ ſanitatē natura ſuſcipere aptū eſt, & cauſam, quæ eandē efficere, vel cōſeruare, & ſignum, quod poteſt indicare: hæc omnia Græci ſalubria appellare conſueuerunt. Eadem ratione & ſuſceptiua morborū corpora, & eoſdem efficientes, conſeruãteſq; cauſas, & ſigna indicantia, inſalubria vocāt. Nec aliter corpora neutra, cauſas ſigna ve dixerunt. Et ſecūdum primam quidem rationem, atque præcipuam cauſarum ſalubrium eſt medicina ſcientia. propter eas autem, & aliarum ſecundo quidem loco inſalubrium, & tertio neutrarū. Et poſt has eodem modo corporū, primo quidem, & hic ſalubrium,

ſecundo loco inſalubriũ, tertio neu-
trorum. Itidem de ſignis dicendum.
In actionibus autem, prima quidem
eſt corporum cognitio quæ habetur
ex ſignis: poſt hæc earum, quę in ipſis
inuentio cauſarum.

¶Quot modis dicitur ef- fectiuum, indicati- uum & ſuſce- ptiuum.

Cap. iii.

SEd quoniam & effectiuum, & in-
dicatiuum, & ſuſceptiuum dupli
citer vnumquodque dicitur, hoc
quidem ſimpliciter, hoc vero vt nũc,
noſſe oportet amborum eſſe medi-
cinæ ſcientiam. Ipſum vero ſimplici-
ter duobus dicitur modis, & quòd
ſemper & quòd plurimum: de quo-
rum vtroq; medicina pertractat. Neu
tra vero & cauſa, & corpus, & ſignũ,
& quod ſimpliciter dicitur & quod
vt nunc, tripliciter vnumquodque ap
pellatur: hoc quidem quia nutrius cõ
trariorũ eſt particeps, hoc vero quia
vtriuſque, hoc vero quia aliquando

huius, aliquando illius. Horum autē ipsorum secundum, rursus duobus di citur modis, aut quia vtrunq; cōtra rio rum ex æquo participat, aut quia a iquādo plus alterum. est vero & in tota diffinitiōe, si verba animaduertimus, ambiguitas quędam, quam & ipsam dissoluere oportet. Cum enim dicitur medicinam esse scientiam & salubrium, & insalubrium, & neutro rum, significatur & ꝙ omnium particularium, & ꝙ quorundā, & qualiū. Sed omnium quidem infinitū quod dam est, atq; impossibile, quorundā diminutum, atque artificio carens. qualium vero artificiosum pariter, atque sufficiens ad omnia artis particularia, quod etiam dicimus in me dicinæ diffinitione comprehēdi. Primum igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualia nam sint, & salubria, & insalubria, & neutra post hęc de signis, & causis differemus.

De corpore salubri.

Cap.iiii.

SAlubre simpliciter corpus ē quod ab ipso naturæ ortu bonā habet

temperaturam in ſimplicibus, & primis particulis, atque in his quæ ex illis componuntur inſtrumentis, eſt cõmoderatum. Salubre vero nunc, eſt corpus quod in præſenti eſt ſanũ. Eſt vero & hoc eo tempore quo ſanum exiſtit, bonam habens temperaturã, & commoderationem, non tamen optimam, at ſibi propriam. Ipſius vero ſalubris ſimpliciter corporis, tale quidem eſt ſemper id quod eſt optima temperantia præditum, ac maxime eſt commoderatum. Vt multum autem quod à conſtitutione optima non valde admodum deficit.

De corpore inſalubri. Cap. v.

INſalubre vero ſimpliciter eſt corpus quod ab ipſo ortu naturę, vel in conſimilibus partibus malam habet temperaturã, vel in inſtrumentariis incommoderationem, vel vtrũque vitium. Inſalubre vero nũc eſt corpus quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat. neque obſcurum eſt, ꝙ & hoc ipſum, eo quo dicitur tempore ægrotans, vel in conſimilibus ma-

lam habet temperaturam, vel in inſtrumētariis incommoderationem, vel vtrunq;. Eſt vero & ſemper inſalubre, quod ex ipſo naturæ ortu vel peſſimam habet temperaturā in ſimplicibus, & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel his quæ obtinent principatum, vel in inſtrumentariis, incommoderatum exiſtit. Similiter autem in his, vel omnibus, vel aliquibus, vel illis quæ obtinent principatum. Vt multum vero inſalubre eſt corpus quod ab huius quidem vicio recedit, nondum tamen mediocritatem attingit.

De corpore neutro. Cap.vi.

QVoniam vero & neutrū corpus tripliciter dicebatur, vnū quidem quod neutrius erat extremæ diſpoſitionis particeps, aliud autē quoniam vtriuſq;, aliud quoniam aliquando huius, aliquando vero illius. Iuxta primum ſignificatum neutrum erit corpus, quod exquiſite medium eſt, & ſaluberrimi, & inſaluberrimi corporis: & huius hoc quidem ſimpliciter tale, quod ab ipſo

ortu naturæ ita est constitutum, hoc vero vt nunc, quod in præsenti tempore mediū exquisite existit saluberrimi, atque insaluberrimi corporis. Ipsius autem simpliciter, semper quidem tale est id, quod in omnibus ętatibus tale perdurat. Vt multum autē quod nonnullas recipit mutationes. Iuxta vero secundum significatū neutrum erit corpus quod ab ipso ortu naturæ contrariarum simul est particeps dispositionū, aut scilicet in vna parte, aut in duabus differentibus. in vna quidem si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, vel etiam secundum vtranq;, sed in formatione, & magnitudine, & numero partium, vel situ delinquat, aut cōtrà in his quidem recte se habeat, vel omnibus, vel quibusdam. peccet autē intemperatura, in differentibus vero partibus, & iuxta omnes oppositiones potest quidq; simul particeps esse contrariorum. Et semper quidem tale quod per omnes ætates in eodē habitu perseuerat. Vt multum vero

quod aliqua ex parte euariat. Ita vero & nunc neutrum erit corpus iuxta secundum significatum, quia vel parte in vna hæc quidē ipsi salubria existunt. illa vero insalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus. Iuxta vero tertium significatum neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando vero insalubre, exīstit, vt nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate corporis vigent, quum vero ad iuuentutē peruenerint, insalubres euadūt, aut contrà. In vno aūt tēpore quod ita est neutrū consistere nequit: latius vero si accipiatur, contingit. Nouimus autem quòd nūc, dupliciter dicitur. Salubre igitur, & insalubre, & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale vnūquodq; sit, sufficienter explicauimus. De signis vero deinceps dicendum.

De signis salubribus. Cap. vii.

SVnt autē & ex his salubria quidem quæcunq; præsentem indicant sanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subiiciunt; insalubria vero quæ & præ-

ſentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atq; præteritam memoriæ ſubiiciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram diſpoſitionem oſtendunt, prænunciant, & memoriæ ſubiiciũt, & quæ nihil omnino de diſpoſitionibus indicant, vel nihilo magis ſalubrem, q̃ inſalubrẽ diſpoſitionem oſtendunt, & partim quidem ſalubrem, partim vero inſalubrem indicant diſpoſitioné, & quę aliquando quidem ſalubrem, aliquãdo vero inſalubrem, & hæc quoque ſecundum tria tempora, veluti ſalubria, & inſalubria appellantur. Vocãtur autem nõnunquã à vetuſtioribus medicis hæc omnia ſigna prænunciatiua, quãuis præſentium, ac præteritorum indicatiua. Vſus vero nõ paruus ex prænunciatiuis, atque indicatiuis: minor autem ex his quæ memoriæ ſubiiciũt. Cum vero ſint ſalubria corpora, hæc quidem ſimpliciter, hæc vero vt nunc, quæ & bene valentia dicuntur, ſalubrium ſimpliciter corporum duplicem diximus eſſe differentiam: quoniam nõnulla quidem ſem

per, nonnulla vero vt multum essent talia. & semper quidem quæ optimã constitutionem sortita sunt, vt multum vero, quæ non magnopere ab illa recedunt.

De signis optimæ constitutionis. Cap. viii.

HOrum autem dignotiones sumẽdæ sunt ab his, quæ secundum essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his quæ ex necessitate consequuntur operationibus, casibusq;, qui proprie accidentia vocantur. Ab essentia quidem ipsa eorum quæ optimã habent constitutionem, commoderatione consimilium quidem, in caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate. Instrumentorum vero, in quantitate, ac numero eorum ex quibus cõponuntur, ac præterea formatione, situ partium singularum, ac totius instrumenti. Ex his vero quæ ex necessitate consequuntur consimilia, quantum quidem attinet ad tactum à mediocritate, quę in mollitie, ac duritię consistit. Quãtum vero ad aspectum, á colore optimo, & leuitatis, atq; hi-

ſpiditatis mediocritate. In operatio-
nibus, à perfectione, quā & ipſorum
virtutē appellamus. Ab his vero quæ
inſtrumentarias partes conſequūtur,
à commoderatione, & pulchritudine
omnium totius corporis inſtrumen-
torum: ac præterea earum quæ ipſis
inſunt virtute operationū. Optimæ
igitur conſtitutionis corporum ſigna
indicatiua ſunt hæc. Eorum autē quæ
ab ipſa deficiunt, & adhuc tamen ſa-
lubria exiſtunt, nonnulla quidem in
conſimilium temperatura vicium ali
quod paruum, habent, nōnulla vero
in inſtrumentariorum cōmoderatio
ne, & hoc quoq; perexiguum. Accidit
autem hoc vel in omnibus, vel in ali-
quibus, aut in vtriſq;. Viciorum vero
genera eadem ſunt his quæ virtutem
perficiunt. Temperatura quidē in con
ſimilibus. Numerus autem, & forma-
tio, & magnitudo, & ſitus, in inſtru-
mentariis. Vtriſq; vero cōmunis vni-
tas, quam & ipſorum continuitatem
appellamus. In his autem ipſis gene-
ribus ſunt corporum inſalubrium vi-
cia ſecundum vtrunq; inſalubritatis

modum. Terminus autem qui vtrũq; distinguit, est operationum læsio sensibilis. Quæ vero ab optima corporũ constitutione breue aliquid deficiũt, re vera quidem & ipsa in aliquo sunt offensa, non tamen id sensu comprehenditur. Distinguuntur vero ex eo, q̄ magis minusúe in operationibus existit, ac quia causis quæ ægritudinẽ pariunt, non æque resistunt. Quæ autem simpliciter insalubria sunt corpora, distinguuntur ob id, q̄ facile à causis quæ morbos committendĩ vim habent, superantur, & quoniam in vigore operationum plurimũ deficiunt. In medio autem amborum collocantur ea quæ neutra simpliciter appellãtur, & cum latitudine quadam. Quo fit vt tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur quæ iã ægrotãt corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur. Quæ igi-

tur dolore infestantur, & quorū motus sunt viciosi aut omnino interierunt, manifestam habent determinationem. Quæ vero imbecilles ædunt operationes, in magnis quidē distantiis facile discernuntur, in paruis vero ambigua sunt: atque idcirco in eo genere noxę collocatur, quę neutrius cōtrariorum participat dispositio, quā & ipsam neutram diximus appellari, ita tamen vt horum omnium sensus sit iudex, non ipsa natura rerum inspiciatur, ne periculū sit in dogma perpetuæ passibilitatis incidere, & quidem signa sanorum corporū. Sed quæ insalubria, salubriáq;, & neutra existunt quantitate distantiæ differēt duobus inuicem contrariis terminis a nobis statutis, optima videlicet cōstitutione corporis, & nuper facta ægritudine, ac deinceps consyderantibus vtri eorum vicinora sunt ea quæ ad examē corpora veniunt. Quæ enī proximiora sunt optimæ cōstitutioni, salubria: quæ vero ab hac longius distant, atq; ad ea quæ iam ægrotant magis accedunt, insalubria. quæ autē

intermedia, atq; æqualiter ab vtrisq; distare videntur, neutra. Optimę igitur cõstitutionis corporis indicia explicauimus. Eorum vero quę ab ipsa deficiunt, totidem sunt numero genere, quę in magis, & minus secari possunt. Cum autem in tres latitudines diuisa sint, corporis insalubris simpliciter indicia trademus. ex his enim & reliquę duę latitudines innotescẽt. Generaliter igitur prius à nobis in eo quem de optima cóstitutione sermonem habuimus, specialiter autẽ nunc dicetur, si prius partes diuiserimus.

Quot sunt differentiæ partium. Cap. ix.

SVnt vero earum quatuor vniuersę differentię: quoniam nonnullę earum principia existunt, aliquę vero ab ipsis originem habẽt, aliquę nec aliarum gubernationi præsunt, neque aliunde gubernãtur quum insitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur: quædam vero sunt quæ insitas simul, & aliunde emanantes habent. Principia igitur sunt, ce-

rebrum, cor,hepar, testiculi. Ab illis vero ortum habent,atq; eisdem subministrant,nerui quidem, & spinalis medulla cerebro:cordi vero arterię, hepati, venę:ipsa vero seminaria vasa testiculis. Quæ autem à seipsis gubernantur,sunt,cartilago,os,copula seu ligamẽtum, membrana, adenes, adeps, caro simplex. Reliquæ vero partes,cum vna cũ istis habeant ex seipsis regimen, arteriis, neruis, & venis insuper eguerunt. Capillorum autem, atque vngulum neque regimen vllum est, sed generatio tantũmodo Hæ igitur sunt partiũ differentiæ.

De signis cerebri. Cap.x.

INdicia autem singularum temperaturæ sumpto à cerebro initio, deinceps dicemus.Sunt vero quinque insita genera quę ipsius naturam ostendunt. Primum quidem totius capitis dispositio.Secũdum vero sensibilium operationum virtus, & vicium.Et tertium actiuarũ. Quartum earum quæ tenent principatum. Et quintum naturalium. Aliud vero genus præter hæc omnia,ea quę extrin

secus

ſecus aduenit alteratio. Et quidem totius capitis diſpoſitio ex magnitudine, & figura ſumitur, atque capillis.

De paruitate & magnitudine capitis. Cap. xi.

PAruum igitur caput vicioſæ conſtitutionis cerebri proprium eſt indicium. Magnum vero non neceſſario indicat bonam cerebri compoſituram. Sed ſi quidem ob inſitæ virtutis robur, quæ multam, atque optimam materiam afformauerit, eueniat: optimum eſt ſignum. at ſi ob materiæ tãtum multitudinem: haud quaquam bonum. Diſtinguenda vero ſunt hæc, & ex figura ipſa & ex his quæ ab eo habent ortum. A figura quidem ipſa, ſi concinna. ſemper enim hoc bonum eſt ſignum. Ex his autem quæ ab eo ortum habẽt, ſi valida eſt ceruix, & ſi aliis oſſibus optime cõſtet, atque omnis præterea neruoſa ſubſtantia boni ſit habitus, ac robur habeat intentum. Propria autem capitis figura eſt, veluti ſi excogitares ſphæram exquiſite rotundã, ex cæra conſtructã, paulatim vtrinq;

depressam. In hac enim necesse est, vt posteriores, prioresue partes plus gibbæ fiant, q̃ sphæræ cõueniat. Quę vero vtrinque cõsistunt, magis rectæ. Quòd si ea quæ secundũ occiput eminentia minuatur, simul intueri oportet neruos, atque ceruicem, vnà cum ossibus aliis. Nam si secundum naturam constiterint materiæ defectu, nõ virtutis imbecillitate contingit. Illis vero non recte se habentibus, principium est debile, sed magna ex parte defectus qui occipiti eueniunt consequitur eorum quæ antediximus imbecillitas, rarissimeque aliter euenire consueuit. Caput etiam quod secundum occiput in acutiem tendit, animaduertere oportet, hisdem adhibitis distinguẽdi rationibus, quibus antea in capite grandiori facto vtebamur. Vt plurimum vero, & hic optimum est signum figura cõcinna eius partis, quæ cerebro adhæret, quam nonnulli medici posterius cerebrum appellare consueuerunt, quemadmodũ & posterius existit ea futura quæ Græcæ litteræ Λ formam habet prę-

finitam. Eſt vero huiuſmodi pars ſpinalis medullæ principium, & eius ratione neruorum omnium qui actionibus obſeruiunt. Ipſa autē pars poſterior per ſeipſam paucos admodū ſenſitiuos obtinet neruos plurimos vero actiuos, ſicuti & aterior, ſenſitiuos quidem plurimos, paucos admodum actiuos. Quare vbi bene fuerit affecta vtraque pars, robuſtas habebunt eas quæ ab ipſis. deriuationes. Eædem quoque diſtinctiones adhibendæ ſunt ad partes capitis anteriores ad frontem attinentes, quę etiam ad poſteriores, earūdéque, & paruitatem, & magnitudinem inſpicere oportet, atque itidē figuram, & ſenſus ibi collocatos, viſum, guſtum atque odoratum Hæc enim ſe inuicem indicant, atque atteſtantur, & quæ à principiis oriuntur, principii virtutem, vel vicium, & principium eorū quæ ab ipſo naſcuntur.

De operationibus obtinentibus principatum. Cap. xii.

EArum autem operationum quæ obtinent principatum, virtus, ac vicium sunt ipsius principii seorsum tantummodo indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes, quæ à solo principio proueniũt. Ingenium quidem igitur, subtilẽ cerebri substantiam indicat: tarditas vero intellectus crassam: discendi vero facilitas, formarum facile susceptiuam: memoria autem, stabilẽ, ac firmam: sicuti & discendi difficultas, formarum non facile susceptiuã: & obliuio, fluidam. Mobilitas quoque in opinionibus, calidam: stabilitas autem frigidam. Adhuc autem duo indiciorum genera mihi videor prætermisisse, de qbus sum ab initio me dicturum pollicitus, quorum alterũ ad operationes attinet naturales, alterum vero ad ea quæ extrinsecus occursant. Erit autem in vtrisque sermo communis.

Signa bonæ temperaturæ cerebri. Cap. xiii.

SIquidem cerebrum sortiatur bonam quatuor primarũ qualitatũ

temperaturam, omnia quæ diximus habebit moderata, & excrementa q̃ vel per palatum, vel aures, vel nares, vel oculos expurgantur, hæc quoque modice ſe habebunt, atq; ab his que extrinſecus occurſant minime læde-tur, quæ ſcilicet vel calefaciũt, vel fri-gefaciunt, vel humectant, vel exiccãt. Talibus igitur capilli capitis: cũ ad-huc ſunt infantes ſubruffi, cum vero pueri, ſubflaui, cũ iam adoleuerint fla ui fiunt, mediiq; ſunt inter eos q om-nino ſunt criſpi, & ſimplices. nõ tamẽ facile caluitium patiuntur. Quæ vero dicuntur ac poſterius dicẽda indicia ſunt, accipere oportet, vt in bonam habentibus temperiem habitationi-bus. Quæ autem ad capillos attinẽt, non ad locorum tantum, ſed ad hu-morum quoq; temperaturã qui cere-bri tẽperaturæ proportione reſpon-dent, ſunt referẽda. Si vero calidius ſit quã oporteat, in altera vero oppoſi-tione bonam habeat temperaturã, ſiquidẽ in caliditate exceſſerit, omnia quæ dicentur, validiora erũt indicia, ſed ſi paruus fuerit exceſſus imbecil-

lia. Communis autem hæc ratio ſtatuatur in omnibus partibus, quarum intemperaturis vniuerſis indicia ſumus tradituri.

Signa calidi cerebri. Cap. xiiii.

DEinceps igitur ſigna cerebri caliditatis, præter ea quæ nuper diximus, ſunt quòd ea quæ circa caput omnia rubicunda, & calida magis, & quæ in oculis venæ magis ſenſui patent. Capilli quoque, in his ſtatim in lucẽ ædĩtis habent in capite ortum. & quum plurimum in caliditate à mediocri temperatura receſſerint, nigri, & robuſti, & criſpi fiunt. Cum vero non multum, ſubflaui quidem ab initio fiunt, deinde nigricant, ac progrediẽtibus ætatibus caluitium patiuntur, atq; eo magis qui plus modico ſunt calidiores. Excrementa vero quæ per palatum. & nares: & oculos, & aures, pauca, & concocta ipſis exiſtunt quũ integram habuerint ſanitatem. cum vero eis caput repletur (continuo enĩ ac tum præſertim, cum nullam victus ſeruauerint rationem, tale quid eis

accidit)plura quidem in ipſis excre-
menta, atq; inconcocta generantur,
implēturque:atque aggrauantur eo-
rum capita à calidis cibis,& potibus
odoribus,atq; hiſce omnibus quæ ex
trinſecus occurſant,in quorum nume
ro eſt,& qui nobis circūfunditur aere
ſed præterea magis, ſi non ſolum na
turæ calida, ſed etiam humida talia
corpora extiterint. Breuibus autem
ſomnis huiuſmodi temperaturæ con
tentæ ſunt,neq; admodū profundis.
Signa frigidi cerebri. Cap.xv.
FRigidioris vero,quā oporteat,
cerebri indicia ſunt plura ī pro
priis meatibus excrementa, &
capilli recti,& ruffi, & ſtabiles,
& qui longo poſt natiuitatem tēpore
naſcuntur tenues,atq; ab initio male
nutriti,& facile à cauſis frigidis offen
duntur,atq; hoc ipſo offenſionis tem
pore diſtillatiōibus, & grauedinibus
capiūtur,neq; ſi tetigeris, ptes ad ca-
put attinētes admodū calidæ ſentiū-
tur,neq; ſi inſpexeris,rubicūdæ appa
rēt,& oculorū venæ oīno viſum effu-
giūt,& ſomnolēti quodāmodo ſunt.

Signa ſicci cerebri.

Cap.xvi.

SIccioris autẽ cerebri indicia ſunt paucæ ſuperfluitates effluentes, & ſenſuum perſpicacitas. Sunt autẽ ad vigilias prompti, & capillos habent robuſtos, & qui celerrime eis ſtatim innaſcuntur. Criſpi autẽ potius ſunt, quàm recti. Cito autem calui fiunt.

Humidi cerebri indicia.

Cap.xvii.

HVmidioris vero cerebri indicia, capilli plani, & nequaquam calui fiunt. ſenſus autem turbulenti, & excrementorum multitudo. ſomni multi, atq; profundi. Et hæ quidẽ ſimplices ſunt intemperaturæ.

Signa calidi, & ſicci cerebri.

Cap.xviii.

COmpoſitæ autem, primum calida, & ſicca, ſecundum quam, & ſuperfluitatibus carẽt, & ſenſibus vigent, & plurimum vigilant, & cito calui fiunt, & prima quidem capillorum generatio celerrima eſt, ac pluri mo abundans alimento. Capillos vero habent nigros, & criſpos, & tan-

gẽtibus caput, calidi ſentiũtur, & ſũt rubicũdi vſque ad ætatẽ cõſiſtentiæ.

Signa calidi, & humidi cerebri.
Cap. xix.


I vero humiditas adiũgatur caliditati, parum vtriſq; qualitatibus ſuperantibus mediocritatẽ, color bonus, & q̃ circa oculos calidiora, venæ magnæ, & plura excrementa, & mediocriter cocta, & capilli recti, ſubflaui, & non facile calui fiunt. Implentur vero atque aggrauantur eorum capita à calidis. At ſi humectẽtur, protinus multo magis excremẽtorum habent multitudinẽ. Et ſi plurimũ caliditas, atque humiditas creuerit, his caput eſt ægritudinibus obnoxium, atque excrementis habundans, & quod facile à calefaciẽtibus, atque humectãtibus offendatur. Auſter vero ſemper eis aduerſatur, atq; optime in aquilone ſe habent, non tamen diu vigilare poſſunt: & cum ſe adſomnum conuerterint, ſimul graui ſomno tentantur, & vigilãt, & ſomnia habent imaginationibus plena,

visus eis turbulēti, neq; satis sensibus vigent. Quòd si plurimum in caliditate cerebrum à mediocritate recesserit, paululum autem humidius extiterit, calidæ tēperaturæ indicia præ se feret, cum quibus leuia quædā humiditatis signa coniungētur, veluti si longe quidem humidius, paululum vero calidius, vehementia quidē erūt, ac manifesta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis vero hæc ratio in omnibus compositis intemperaturis existit.

Signa frigidi, & sicci cerebri.

Cap. xx.

FRigidæ vero, & siccæ cerebri intemperaturæ, frigidum & minime coloratū sui ratōe caput reddunt. Semper enim memoria repetenda quæ à nobis ab initio est distinctio posita, vt præterea aduertamus quantum ex humorum temperatura alterentur quæ circa ipsum cōsistunt. Protinus autem huiuscemodi temperaturæ venis carentes habent oculos, & à causis frigidis facile lędū-

tur. Quare & inæquali ſanitate fruũtur, quoniam nonnunquam læuiſſima habent capita, & excrementorũ moderatos effulſus, nonnunq̃ vero, & grauedinibus, & diſtillationibus minima ex cauſa capiuntur.

De ſenſibus. Cap.xxi.

SEnſus autẽ eorũ in iuuentute quidẽ omnes vigẽt, atq; omni vicio carẽt, ſed progrediente ætate cito marreſcunt. Et vt ſummatim dicatur, oẽs celerrimam circa caput ſenectutẽ oſtẽdũt. Quare & cito cani fiũt. Capilli vero ipſis q̃dẽ genitis vix exeũt, & male nutriũtur, & ruffi ſunt. in progreſſu autem ætatis, ſuperãte magis frigiditate caliditatẽ, quã ſiccitate humiditatem, multũ nõ calueſcũt. Ecõtra vero ſi cõtigerit ſiccitatẽ quidẽ plurimũ dominari humiditati, frigiditatem vero calidi.ati parum calui fiunt hi.

Signa cerebri frigidi, & humidi. Cap.xxii.

HVmidæ vero, & frigidę cerebri ĩtẽperaturę faciũt hoĩes graui ſõno tẽtari, & ad ſõnũ

facile conuerti,sensibus quoque minime vigentes,atque excrementis redũdantes:& qui caput frigiditati,ac repletioni habent obnoxium,ac distillationibus, & grauedinibus facile tẽtantur, neque tamen hic alui fiunt. Hæc igitur indicia sunt cerebri temperaturæ,à quibus si progrediaris ad vnumquodq; sensorium dignotiones transferre licebit.

De oculis. Cap.xxiii.

SEd sufficiet de oculis facere mẽtionem. Quicunq; tangentibus quidem manifeste calidi existũt,& facile à crebro motu ciẽtur,& venas latas habẽt,hi calidi omnes sunt. Frigidi vero,his contrarii. Et humidi quidem molles simul,& multa humiditate pleni. Sicci vero duri simul,& aridi. A similibus autem suæ temperaturæ causis facile offenduntur,iuuantur autem a modico cõtrariorum vsu. Sed hoc quidem cõmune in omni cuiuscunq; partis temperaturę dignotione oportet meminisse.

De magnitudine oculorum. Cap. xxiiii.

MAgnitudo oculorum quidem vbi cōcinnitas, & operationum virtus, multitudinem bene temperatę substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati: quæ si desint multam quidem substantiam, non tamen bene temperatam ostendunt.

De paruitate oculorum. Gap. xxv.

PAruitas vero oculorum, adiuncta quidem concīnitate, ac virtutum operatione, paucā quidem, sed bene temperatam substantiam ostēdit, ex qua sunt cōformati. Si vero sociam habuerint inconcinnitatē quādam, atque operationū vicium: tunc paucam simul ac viciosam materiā ostendunt.

De colore oculorum. Cap. xxvi.

QVæ vero ad colores attinent, ita distinguere oportet. Glauci quidem oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgēt, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam. Econtra vero nigri, & qui intermediam naturā seruant, causas

quoq; intermedias habent.

De glaucedine, & nigredine oculorum. Cap.xxvii.

GLaucus igitur oculus fit, vel propter magnitudinem, vel ꝑpter ſplendorem humoris, qui á Gręcis cryſtalloides nominatur. vel propter ſitũ prominẽtem, aut propter tenuis & aquei humoris, qui in pupilla exiſtit, paucitatem, & puritatem atque omnibus quidem in vnum conueniẽtibus, fit glauciſſimus oculus. Quòd ſi aliqua adſit, aliqua vero non, tũc maior, minor ve glaucedo contrahitur. Niger vero oculus fit, aut ob paruitatem cryſtalloidis, aut propter ꝓfundum, ſitum, vel quoniã ſplendidus ac fulgidus exquiſite non eſt: vel quoniá tenuis humor, vel ſuperabundat, vel purus nõ exiſtit: vel propter vnam aliquam ex his, quas ante diximus cauſas, aut propter omnes fieri conſueuit. In ipſis autẽ magis, & minus (vt antea diximus) reperitur. Tenuis igitur humor quo magis ad aquæ naturam accedit, & ſuperabundat, humidiorem oculum oſtẽdit: quemadmo

dũ ſi craſſior, ac minor fiat, ſicciorẽ. Cryſtalloides autem, ſi quidem durior exiſtat, ſicciorem efficit oculum: ſi vero mollior, humidiorẽ. ſic & ſi plus modico tenuem humorem exceſſerit, ſicciorẽ: ſi aũt defecerit, contrariũ.

De cordis temperaturis.

Cap. xxviii.

DE cordis autem temperaturis deinceps dicendũ eſt. Si prius hęc in memoriam reuocauerimus, quòd vnáquáq; partem ſeipſa, vel calidiorem, vel frigidiorẽ, vel ſicciorem, vel humidiorem dicimus factam, non alicui rei alteri comparantes. Vt cunque enĩ extiterit cor natura frigidius, multo ſane calidiorem temperaturam poſſidebit calidiſſimo cerebro.

Signa cordis calidi.

Cap. xxix.

CAlidioris igitur cordis, vt admodum qui ei proprius eſt, atq; cõueniẽs, indicia quædã ſunt inſeparabilia, & propria, magnitudo reſpirationis, & pulſus velocitas, & frequentia, & audacia, & ad actiones natura

prompta. quòd si multum in calidita te excesserit, tunc furibunda quædam iracundia, & temeritas adsunt. Est autem his thorax hispidus, & præsertim pectus, & quæcunque iliis partes ꝓximiores. Magna vero ex parte calidi cordis temperatura, vniuersum corpus calidum reddit, nisi hepar vehemẽtius obstiterit. Dicemus autem paulo inferius totius corporis ĩdicia. Est quidem & latitudo thoracis caliditatis indicium, nisi & hic quoque cerebrum plurimum obstiterit, quoniam ei magna spinalis medulla respõdet: tantæ vero erunt vertebræ, quanta & spinalis medulla, quare & spina vniuersa. Configitur vero thorax ad eam spinæ partem quæ methaphrenon, id est, dorsum dicitur, tanquam ad carinam nauis: quare necessario eius longitudo æquabitur dorso, latitudo vero erit pro vertebrarum ratione, quando ad proportionem earum crassitudinis fuerit constitutus. cum vero cordis caliditas superans perflauerit, ac dilatauerit, in primo sui ortu thoracem, erit eiusdem cali-

ditati

ditati proportione reſpondens. Quare cum caput paruum, thorax autem latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit cordis caliditatis indicium. Cũ vero magno exiſtente capite, paruus fuerit, propriiſſimum hoc erit cordis frigidioris ſignum. Si vero capiti fuerit proportione reſpondens, tunc aliis ſignis de corde diſtingues, ex ipſius thoracis amplitudine nihil aſſumens.

Signa cordis frigidi.

Cap. xxx.

IN frigidiore vero corde pulſus minores exiſtunt, q̃ modo naturæ conueniat: non tamen neceſſario tardiores, vel rariores. Reſpiratio autẽ, ſi quidem tãto thorax minor extiterit, quanto cor frigidius pulſibus erit proportionalis. Si vero maior fuerit, q̃ pro frigiditatis vehementia: non minorem tantum, ſed etiam tardiorem, & rariorem naturam oſtẽdit. Tales autem timidi ſunt & ſine audacia, & ſegnes, & nudum pilis habent pectus. De eius vero paruitate diſtinguẽdũ vt diximus prius.

Eodem modo & de totius corporis calidi tate.

Signa cordis ſicci. Cap.xxxi.

COr autem ſiccius pulſum efficit duriores, & iram non promptã quidẽ, ſed feram, & q̃ nõ fa cile ſedari queat: magnàq; ex pte vniuerſum cor pus ſicci⁹ exiſtit, niſi hepar obſtiterit.

Signa cordis humidi. Ca.xxxii.

COrdis vero humidioris ſigna, pulſus molles, & mores ad iram quidem procliues, ſed talem quę facile ſedari poſſit: & vniuerſum cor pus humidius exiſtit, niſi hepar obſti terit. Secundum vero cõiugationem qualitatum primarum vicioſę cordis temperaturæ ita ſe habent.

Signa cordis calidi & ſicci. Cap.xxxiii.

CAlidi, & ſicci cordis, pulſus duri ſunt, & magni, & veloces, & fre quentes, & reſpirationes magnæ, & veloces, & frequẽtes, & multo magis ad velocitatem, ac frequentiam ver gunt, thorace cordi non aucto pro portionaliter. Hi vero præ cunctis pe ctus habẽt maxime hirſutum, & ilia.

Ad actiones autem prompti sunt, & iracundi, & subiti, & mores tyrannicos habent ad furorem faciles, nõ facile vero placabiles. De totius autem corporis tẽperatura, & thoracis amplitudine, his quę ante diximus ꝓportionaliter est distinguendum.

Signa cordis calidi, & humidi.

Cap. xxxiiii.

SI vero caliditas vnà cũ humiditate dominabitur, minus quidem his quos antea diximus, hi sunt hirsuti ad actiones vero nihilo minus prõpti, nõ tamen ferior est aĩus, sed ad irã ꝓcliuis tãtũmodo pulsus vero magni, ac molles, & veloces & frequẽtes existũt. Et respiratio, cũ thorax cordi fuerit ꝓportionalis, eãdẽ pulsibus formam seruabit. Si vero minor extiterit. tãto illis velocior erit & frequentior, q̃to & thorax minor extiterit. Si ãt multa facta fuerit euersio ĩtẽperatura, ac si, hoc ꝓsertim ĩ humiditate cõtigerit, ꝓter ea q̃ diximus cõtingẽt ẽt ex ꝓputredine morbi his, quæ in ipsis fuerint humoribus corruptis, ac putrefactis. Expirationes aũt

maiores ſunt,ac velociores inſpira-
tionibus,& ſubmiſſio arteriæ in pul-
ſibus velox.

Signa cordis humidi,& frigidi.
Cap.xxxv.

HVmidioris vero, & frigidioris cordis pulſus quidē molles,moribus autem nequaquam audaces, ſed timidi,& ſegnes exiſtūt.Tales etiam glabrum pectus habent, miniméque iram retinent, ſicuti & ad iram non admodum ſunt prompti. Quæ vero ad thoracem, & vniuerſum attinent corpus, diſtinguere oportet,ſicuti ea quæ ante diximus.

Signa cordis frigidi,& ſicci.
Cap.xxxvi.

FRigidius vero cor,& ſiccius,pulſus quidem duriores reddit, & paruos:reſpirationem autem,ſi quidem thorax paruitatē cordis frigiditati ꝓportionalem habuerit,moderatam,ſi vero maior extiterit,raram ac tardam.Hi vero pręomnibus minime ad iraſcendum prompti.Cum autem coacti fuerint iraſci quibuſdam, retinent iram. Habent

autem maxime omnium nudum pi-
lis pectus. De paruitate autem thora
cis, ac præterea totius corporis frigi-
ditate similiter distinguendum. Vnũ
illud commune in hisce omnibus me
moria repetẽtibus, ꝙ quęcunq; de mo
ribus, siue nũc, siue quouis alio sermo
ne explicata sunt ad temperaturæ co
gnitionem, non de optimis moribus
ac viciosis, qui ex philosophia homi-
nibus adueniunt, sed de insitis, ac na-
turalibus nos exposuisse.

Signa calidi hepatis. Cap. xxxvii.

HEpatis calidioris indicia, ve
narum latitudo, russa bilis
abundantior, in consistenti
vero ætate etiam atra, cali-
dior ipsis sanguis, atq; eadem ratione
corpus vniuersum, nisi obstiterit cor.
His venter & ilia hirsuta.

Signa hepatis frigi. Cap. xxxviii.

FRigidioris vero, angustia vena
rum, pituita abundantior, san
guis frigidior, & totius corpo-
ris habitus, nisi à corde calefiat,
venter illis glaber est, atq; ilia.

Signa hepatis ſicci. Cap.xxxix.

SIccioris autem, ſanguis quidẽ craſſior, & minus abundans, venæ duriores, & totius corporis habitus ſiccior.

Signa humidi hepatis. Cap.xl.

HVmidioris autem, ſanguis quidem abundantior, atque humidior, venæ autem molliores, ita vero & vniuerſum corpus, niſi partes ad cor attinentes obſtiterint.

Signa calidi, & ſicci hepatis. Cap.xli.

CAlidioris vero ſimul, ac ſiccioris hepatis indicia, ilia plurimũ hiſpida, ſanguis craſſior ſimul, ac ſiccior, ruffa bilis plurima eſt, conſiſtente autem ætate & atra, venarum autem latitudo, & durities. Sic vero & vniuerſum corpus ſe habet. Nam quę ex corde caliditas originem habet, poteſt obtundere eã quæ ab hepate naſcitur frigiditatem, ſicuti & frigiditas caliditatem. Siccitatem vero non poteſt humidius cor ad contrarium habitum tranſferre. Media vero inter has, quæ dictæ ſunt, ea quę ab hepate

humiditas oritur. Magis enim à cordis ſiccitate ſupatur, q̃ ſiccitas ab humiditate: minus autem caliditate, ad huc vero multo minus frigiditate. Hęc enim inter omnes qualitates quę ab hepate eueniũt, facillime vincitur. Liquet autem ꝙ cum in vnum conuenerint vtriuſq; principii temperaturæ, totum exquiſite ſecundum illas afficitur corpus. paulo vero inferius ipſius dicentur indicia.

Signa hepatis calidi, & humi. C. xlii.

HVmidius autẽ, ac ſimul calidius hepar, minus quidẽ q̃ calidius, & ſiccius ilia reddit hiſpida. Plurimum vero ſanguinis, & venas amplas, habitumq; calidiorem, atq; humidiorem facit, niſi obſtiterit cor. Si vero amplius in ambabus qualitatibus à naturę modo recedat, à morbis qui ex putredine, ac vicioſis humoribus fiunt, facillime capitur. Adhuc autem magis ſi plurimum augeatur humiditas, caliditas vero non ita. Si aũt cõtrà, parum quidem humiditas creſcat, plurimũ vero caliditas, minime vicioſis humoribus laborant.

Signa hepatis humidi, & frigigidi. Cap.xliii.

HVmidius autem, & frigidius hepar habet ilia glabra, ſanguinē vero ad pituitæ naturam accedētem generat, cum venarum anguſtia: ſic & reliquum afficit corpus, niſi à corde ad contrariam naturam transferatur.

Signa hepatis frigidi, & ſicci. Cap.xliiii.

FRigidius autē, & ſiccius hepar cum pauco ſanguine, & venarū anguſtia efficit corpus, atq; frigidius, & ilia glabra, niſi & hic cor dominetur.

Signa calidæ, frigidæ, humidæ, & ſiccæ temperaturæ teſticulorum. Cap.xlv.

TEmperatura vero teſticulorum, calida quidem ad venerem procliuis eſt, & maſculorum genera trix, & fœcunda, celerriméq; genitales partes obſepit pilis, ſimul autem & circūiacentes attingit partes. Frigidior vero contraria efficit. Et humida quidem multo & humido ſemine

abundat. Sicca paucum, & modice crassum generat semen.

Signa calidæ, & siccę temperaturæ testiculorum. Cap. xlvi.

CAlidior vero, ac siccior, & crassum semen habet, & fœcundissima est, quæ celeriter ab initio p̷tinus ad coitum excitat animal. Sed & his genitales partes citissime hispidæ fiunt, atque omnes quæ circũstant supra quidem vsq; ad vmbilicum, infra vero vsq; ad media fœmora. Petulca igitur est, & ad libidinẽ prona huiuscemodi tẽperatura, statim vero satiatur, & si cogatur, offenditur.

Sigua calidę, & humidę temperaturæ testiculorũ. Cap. xlvii.

SI autem caliditas humiditati cõiungatur, hirsutis quidẽ tales mĩnus, plus vero semine abundant, non tamen plus cæteris appetunt, sed minori detrimento præter modũ venereis indulgẽt. ꝙ si satis exercuerint, & caliditas, & humiditas non sine detrimento à venereis abstinent.

Signa frigidæ & humidę tẽperaturæ testiculorũ. Cap. xlviii.

SI vero frigidiorem, & humidiorē temperaturam testiculi habuerit, partes circūpositæ glabræ sunt, & tarde rem venereā exercere incipiūt, neq; proni ad actū huiuscemodi sunt. Aquosum vero, & tenue ipsis est semen, & infœcūdum & fœminarū generatiuū, vel oīno non generans.

Signa frigidæ, & siccæ tēperaturæ testiculorum. Cap. xlix.

FRigidior vero, & siccior temperatura similis quidem in reliquis est antedictæ. Crassius vero in ipsa semen existit, atq; omnino paucum.

De habitu totius corporis. Cap. l.

TOtius autem corporis habitus diximus, & superius quomodo hepatis, & cordis naturam sequātur, ei autem magis assimilantur, q̄ vnā aliquā ex primis qualitatibus potentiorem habuit, quas & effectiuas appellant. Totius vero corporis habitus in illis maxime dicitur partibus quæ primæ oculis subiiciuntur. sunt vero hæ, musculi, qui omnia ambiunt ossa, carnes quædam compositæ ex pri

ma & ſimplici carne, & filis quibus innaſcuntur.propria enim muſculorum ſubſtantia his duobus conſtat. quæ vero ad ipſos, vaſa pertingunt, veluti riui quidam ſunt:qui non ſubſtantiam complent, ſed eis ſubminiſtrant, vt in vita permaneant.Dicentur igitur, & horum temperaturę indicia, in bene temperata habitatiōe. nam quę male temperatę ſunt cutem permutant ex ſe ipſis formantes, & quædam ex indiciis corrumpunt:ita & in bene temperata regione, ſi quis ſe tempore æſtatis nudum ſoli expoſuerit, permutabit indicia quæ ex calore, & duritię, & mollitię ſumuntur. ſi vero quēadmodum bonàm temperiem obtinet locus, ita & ipſe bene temperato victu vſus fuerit, vt qui neque ſe ſingulis diebus in ſole torrefaciat, neq; ſicuti plęriq; more puellarū continue in vmbra degat, hic certa atq; exquiſita tēperaturæ indicia pręſe feret.tanq; igitur de hoc futuro ſermone nunc ad ipſum accedemus.

Signa moderatæ temperaturæ. Cap. li.

MOderatæ temperaturæ indicia ſecuudum totum animalis habitum. Color quidē ex rubro, & albo cōmixtus, capilli vero flaui, & vt plurimū mediocriter criſpi. Carnoſitatis autem mediocritas in qualitate, & quantitate. Medium eſt enim exquiſite huiuſmodi corpus inter oēs exceſſus, vt qui ad ipſum dicantur, & cognoſcātur. nam & craſſum corpus ad hoc cōparatum dicitur craſſum, & tenue ad hoc eodem modo, & carnoſum, & macillentum, & pingue, & durum, & molle, & hiſpidum, & glabrum. nullius igitur horum mediocritas eſt. Sed qualis Polycleti regula ad ſummum totius peruenit mediocritas, adeò vt neque tangentibus molle videtur neque durum, neq; calidum, neque frigidum: inſpicientibus vero, neque hirſutum, neq; glabrum, neque craſſum, neq; tenue, aut aliquē alium habens exceſſum, vel defectum.

De corpore calidiore. Cap. liii.

QVæcunq; autem in caliditate à medio recedunt, non tamē in humiditate, & ſiccitate,

hæc quantum ad carnoſum genus attinét (de hoc enim pręſens eſt ſermo) videntur quidem tangẽtibus calidiora tantum quãtum & eorum temperatura calidior. Tãto vero magis hirſuta ſunt, quanto & calidiora, & minus pingnedinis habent, colorẽ autẽ rubrũ, & capillos nigros habent.

Signa frigidę tẽperaturę. Cap.liii.

FRigidioris autem temperaturę indicia ſunt pilorum carentia, pinguedo, & frigiditas quæ tangentibus obuiat. Color autem vnà cum capillis ruffus. Et vbi frigiditas exceſſerit, liuidus quodãmodo exiſtit, quẽ nõnulli medici colorem plumbeum appellant.

Signa ſiccę tẽperaturę. Cap.liiii.

SIccior autem temperatura tanto gracilior eſt, & durior bona temperatura, quanto maior eſt ſiccitas. In reliquis autem eodẽ modo ſe habet.

Signa humidæ temperaturæ. Cap.lv.

ET humidior etiam in reliquis quidem eodem modo ſe habet, me-

lius autem carnoſa, & mollior: & quidem ſecundum coniugationem qualitatum primarũ factæ intẽperaturæ cõpoſitam habent indiciorũ formã.

Signa calidæ, & ſiccæ temperaturæ. Cap.lvi.

CAlidior ſimul, ac ſiccior eſt hirſuta magis, ac calida, & dura exiſtit & pinguedine caret tenuiſq; eſt, & capillos nigros habet. Si vero multum in calidi tate excedat, color quoq; niger illi adeſt.

Signa calidæ & humidæ temperaturæ. Cap.lvii.

CAlidior autem, & humidior tẽperatura mollior, & calidior, & carnoſior tanto eſt bona temperatura, quantum & vtriſq; qualitatibus aucta fuerit. q ſi plurimum augeatur, cito à putredinis corripitur morbis: quoniam & humorũ vicio promp te laborat. Si vero parum quidem humidior ſit, multo vero calidior, molliores quidem parum huiuſmodi ſunt his, qui bonam habent temperaturam, & magis carnoſi, non parum vero hirſutiores, & tangentibus

non parum calidiores nigri vero eis capilli, & caro pinguedine cadit. Si vero paulo quidē calidior multo humidior, mollis his caro eſt, & multa: & color cōmixtus eſt ex albo, & rubro, & tangentibus paulo calidiores. Et vt ſummatim dicatur, in omnibus temperaturæ coniugationibus ſemper ſuper excedentis qualitatis indicia eminebunt.

Signa frigidæ & humidæ temperaturæ. Cap. lviii.

FRigidior autem, atque humidior temperatura, ſi parum quidem vtraq; augeatur pilis nuda eſt, & alba, & mollis, & craſſa, & pinguis. Si uero magis exceſſerit, reliqua quidē ſunt ſecundū proportionem augmēti qualitatū, color aūt unà cum capillis ruffus, quemadmodum ſi plurimū utraq; augeatur, liuidus. Si uero qualitatū augmentū fuerit inęquale eius q̄ ſupexceſſerit, indicia eminebunt.

Signa frigidæ, & ſiccæ temperaturæ. Cap. lix.

SI autē frigiditas vna cum ſicci ate ęqualiter augeatur, natura du-

rum ac tenue,& glabrum corpus habent,& tangentibus frigidũ.pinguedo tamen ipsis, & si graciles sint, per carnes dispersa. Capilli autem,& color frigiditatis modum, ac proportionem sequuntur. Vbi vero calida, & sicca temperatura in tẽpore decrementi,in frigidum, & siccum labitur habitum,tunc hi graciles fiunt, & duri, atque atra bilis in eis dominatur: & ob id nigri simul,et hirsuti euadũt. vbi igitur altera qualitas plurimum dominatur,altera vero parum à mediocritate recedit, superabunt eius q̃ dominatur,exilia autem erunt altera qualitatis indicia. in omnibus vero de quibus supra diximus, & postea dicemus,cõmune est temperaturę indicium, si membrum facile frigesit, vel frigiditatis, vel raritatis. Si vero non facile,vel caliditatis,vel densitatis. Si vero à desiccantibus offendatur,& aridum & siccum,& non facile mobile fiat,siccitatis: quemadmodum & si ab humectantibus grauiter se habeat humiditatis.Inspicere autẽ oportet si eandẽ omnes musculi ser-
uant

uant temperaturam, vel minime ean
dem, atq; in omnibus animaduerte-
re ſubiectoꝝ oſſium quantitatẽ. Nõ-
nũquam enim gracile videtur mem-
brum cũ tamen non ſit gracile, quo-
ad muſculos attinet, ſed propter oſ-
ſium tenuitatem tale videtur, ſic &
craſſius quibuſdam plerunque appa-
ret, non ob oſſium amplitudinem,
ſed ob multitudinem carnis, quæ vel
aucta, vel comminuta, vel durior, aut
mollior effecta, ſiccius, aut humidius
membrum oſtendit. Pauca igitur, ac
dura, ſiccius multa autem, & mollis,
humidius. Sic & intermedia ſpacia
ſimilarium corporum, vt plus, vel mi
nus humidæ ſubſtantiæ in ſe ipſis cõ-
tinent, vel craſſius, vel tenuius, vel hu
midius, vel ſiccius membrum oſten-
dunt. Humidius quidem vbi ſubtilior
& plurima eſt humiditas, ſiccius ve-
ro vbi craſſior, ſimul, & minor. Ipſe
enim ſolidæ corporis partes quæ ve-
re ſolidæ ſunt, ac primæ, nullo modo
poſſunt effici humidiores: at ſatis ẽ, ſi
quis eos celerius exiccari prohibeat.
Intercepta autem in ipſis ſpacia, hac

vel illa humiditate complere possibi le. Hæc vero est proprium partium similiarium alimentum, quod ex appositione fit, & non per vasa attrahitur. Communis autem hæc ratio & omnium partium existit. Et iterum insalubrium, atque insalubrium causarum doctrina repetetur: nunc autẽ ea quæ ordine sequũtur attingamus.

Signa sicci ventriculi. Cap.lx.

VEntriculi indicia, eius quidẽ qui natura siccior existit, si celeriter sitibundi fiant, & paucus eis sufficiat potus, à plurimo autem aggrauentur, fluctuationibus infestentur, aut superfluitet id quod abundat, & cibis delectantur siccioribus.

Signa humidi ventriculi. Cap.lxi.

HVmidioris autem, si neque sitibundi fiant, & superabundãs humidum facile tolerent, & cibis gaudeant humidioribus.

Signa calidi ventriculi. Cap.lxii.

CAlidior vero natura ventriculus, melius quidem concoquit, quàm appetat: & multo magis quęcũ-

que dura ſunt, & non facile alteratio
nem ſuſcipiunt. nam quæ facile alte-
rantur in ipſo corrumpũtur, gaudet-
que calidis potibus, ac cibis: neque a
frigidis vllam percipit noxam. ſi mo
dice ipſis vtatur.

Signa frigidi ventriculi. Cap. lxiii.

FRigidus vero natura ventricu-
lus, ad appetendum quidẽ plu-
rimum viget, ad concoquendũ
autem minime, tales pręſertim
cibos qui frigidi ſunt, & non facile
alterationem ſuſcipiunt. Cito itaque
in ipſo aceſcũt, atque ideo aridis eru
ctationibus talis ventriculus plurimũ
abundat. & gaudet quidem frigidis,
ſed ab eorum vſu immodico offen-
ditur, ita & ea quæ extrinſecus frigi-
da occurſant, nequit tolerare, quem-
admodum neque calidus, calida. Ma-
læ vero temperaturæ quæ morbi ra-
tione vẽtriculũ occupant, hoc diffe-
runt ab his quæ naturales exiſtunt,
quoniã cõtraria, nõ autẽ ſimilia ap-
petunt, queẽadmodum naturales.

De malis temperaturis in ventriculo
coniugatis. Cap. lxiiii.

MAlæ autem temperaturę in ventriculo cõiugatæ, ex cõpositione simpliciũ cognoscuntur. Oportet autem eas quæ iam sunt dictæ diligenter aduertere, easdem ab his quæ dicentur, distinguentes. Non solum enim ventriculus sitibundos, & minime sitientes facit, & frigidi, caliue potus appetẽtes, sed ea quoq; viscera quæ in thorace sunt, vt cor, & pulmo, sed qui ob horum sitiunt caliditatem plus inspirant, & longius expirant, atq; æstum in thorace sentiunt, non sicuti qui vẽtriculi ratione in iliis caliditatem patiuntur, & cum potauerint non statim sedatur sitis, & magis cum frigidum hauserint, quam cum calidum nimis. Refrigerat autem eosdem, & frigidi aeris inspiratio, quæ nihil eos iuuat qui ventriculi ratione sunt sitibundi, ita & hi qui contrario modo se habent à frigida inspiratione sensibilem sentiunt affectum.

Signa pulmonis frigidi. Cap. lxv.

ET hoc maximum sit frigidi pulmonis indicium. Vt vero frigidũ

inſpirantes manifeſte dolorem ſentiunt & frigiditatem, ita & caliditas eſt ipſis amica, ſed & pituitæ excrementa cum ſcreatu, & tuſſi expuunt.

Signa pulmonis ſicci. Cap.lxvi.

PVlmonis aũt ſiccitates excremẽtis vacãt, & pituita & vocẽ clarã efficiunt quẽadmodũ humiditates obſcurã reddũt, ac raucã: & cum vehemẽtius, aut acuratius loqui ſtuduerint, tũc intercidũt excrementa.

De voce. Cap.lxvii.

NOn tamen ipſa vocis magnitudo à caliditate, ſicuti neq; paruitas à frigiditate ineſt, ſed altera quidẽ aſperæ arteriæ latitudinẽ ſequitur, & vehemẽtiorẽ efflatũ, paruitas vero à cõtrariis aduenit cauſis. Quare neq; ſemper, neq; primũ, ſed ex accidẽti, & ſolas naturales tẽperaturas nõ autẽ aduentitias vocis magnitudo, aut paruitas ſequitur. Quoniã etenim talia inſtrumẽta temperaturæ ratione ſunt facta, ad hæc conſequitur huiuſmodi vox. Idcirco contingit ex voce de naturali tẽperatura raciocinari.

De leni, & aſpera voce. Cap.lxviii.

NAm & lenis vox, arteriæ lenitatem consequitur, sicuti & asperitatem. Lenitas igitur, arteriæ moderatam sequitur temperaturam asperitas vero siccitatem. Asperitas etenim fit ab inæqualitate duri corporis: arteriam vero duram similarium partium ex quibus constat siccitas: inęqualem vero dispersæ in eisdem humiditatis defectus.

De voce acuta. Cap.lxix.

EOdem modo, neq; acuta natura vox sine angustia faucium, neq; grauis sine latitudine fieri potest. Angustia igitur ab īsita, atque innata nascitur frigiditate latitudo autem a caliditate. Differentiis igitur naturalium vocum hęque ex affectu aliquo fiunt, sunt proportionales, quæ & ipsæ indicia sunt causarum à quibus oriũtur, de quibus in libris de voce sufficienter distinxi. Reliquæ vero partes a imalis interiores exilia habent temperaturæ indicia. Tentandum tamen ea ex iuuantibus, atque nocentibus agnoscere: ac præterea naturalium potentiarũ

operationes. Dictum vero est in tertio de causis accidentium, quòd cuiusque potẽtiæ virtus, & vicium tẽperatura principalis existat. Teperaturarũ itaq; indicia iã explanauimus.

Signa naturæ instrumentariæ.

Cap. lxx.

CIrca magnitudinẽ vero, vel formationem, vel numerum, vel situm: quæcũq; quidẽ sensibus subiiciũtur errata, cognitu facillima sunt: quę autem sensu percipi nequeunt, quædam cognitionem habent difficilẽ, quædam vero facilem. Capitis igitur magnitudo, ac figura, & cerebri, simul, in propatulo sunt, & de his antea diximus: sic & quæ thoracis sunt, & quęcũq; ad scapulas, & humeros, vel brachia, vel cubitos, vl' extremas manus, vel coxas, vel fœmora, vel tibias, vel pedes attinẽt nõ est difficile agnoscere, siue secundũ formationẽ, siue secundũ magnitudinem, ex his aliquid nõ recte se habeat, siue secundum numerũ, vel partiũ, ex qbus cõstant cõposituram, singularum etiam operationis detrimẽta facile patent.

Quæ autẽ intra corpus ſunt nõ omnia poſſunt agnoſci.

De ventriculo. Cap.lxxi.

CViuſdam enim ventriculũ adeò paruum ac rotundum, ac pronũ ſecundum ilia ſitum habentẽ inſpexi, vt manifeſte ex circunſcriptione propria, & videntibus, & tangentibus appareret.

De veſica. Cap.lxxii.



Ic & cuiuſdam veſicam cõtingit intueri, ita expoſitam, ac paruã, vt ſi quãdo vrinã tardius excerneret, tumor quidẽ circunſcriptus manifeſte cerneretur, nõ tamẽ aliud ex interioribus quidquã mihi vnquã manifeſtum prębuit indiciũ. Tentare autem oportet quã maxime fieri poteſt virtutẽ ipſorum ac viciũ. & ſi nõ certiſſima ſciẽtia, artificioſa ſaltẽ cõiectura cõprehẽdere, veluti, exempli gratia, in hepate.

De hepate. Cap.lxxiii

VIdi enim aliquos: & quidem quã plures quibus venæ erant anguſtæ, & totum corpus colore priuatũ.

quòd si plusculum cibi assumpsissent qui pſertim flatibus excitandis aptus esset, & crassus, ac tenax: nonnulli quidem veluti pondus quoddam insidēs atq; suspensum in profundo dextræ illorum partis sentiebant: nōnulli vero quandam cum dolore tentionem. In his quidā verisimile est hepar esse paruū, atq; angustos meatus habere.

De homine pituitoso, vomente bilē. Cap. lxxiiii.

ALterum vidi cuius totus habitus pituitā præ se ferebat, quotidie tamen bilē rufam euomebat. Censui igitur inspicienda alui excrementa, in quibus minimū bilis apparebat. Quare coniectura quadam comprehendi eum meatū qui biliosum egurgitat humorem quo minimam eiusdē partē ad imū ventriculi locum, quē Græci pylorō idest ostiarium vocāt, effundere, vt in quibusdam apparet animalibus ex qbus id constat, quòd plurimum ad eorum quæ latent sensum, confert cognitionem, ea quæ ex sectionis inspectione habetur peritia, & operationum, atq; vtilitatum

inuentio. Quicunq; igitur facultatem dignoscendi huiuscemodi corpora quæ ita lapsa sunt conseq cupit: oportet ipsum in sectionibus, ac in operationem, atque vtilitatum inuentionibus exercitari. Scripsimus vero de omnibus seorsum in tractatibus aliis, de quibus in fine libri omnino proposuimus facere mentionem: vt discendi cupidi intelligant quæcunq; discere optauerint, ex quonā possint haurire tractatu, sed tñ de hisce satis.

Quomodo cognoscantur corpora ægrotantia.

Cap. lxxv.

QVæcūq; vero vt nūc īsalubria sunt, hoc ē q̄ iam ægritudine patiūtur, dignoscere, & hæc ipsa oportet. Quæ quidē subiiciuntur sensui ex eorum quæ ipsis insunt, secū dum naturam permutatione, in magnitudine, colore, figura, & numero, & situ, & ea quæ est secundum duritiem, & mollitiem, & frigiditatem, & caliditatem differentia. Quæ autem visum effugiunt (vt summatim

dicam) ex operationum læſionibus, aut his quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibuſdam, vel omnibus.

Signa cerebri patientis.

Cap. lxxvi.

PArticulatim autem quæ quidem ſunt in cerebro ægræ diſpoſitiones, aut dementiæ ſpeciebus, aut ſenſuum, vel imaginationum læſiōibus, aut actuum qui ſecundum electionē fiunt, aut ex his quæ excernuntur, per palatum, vel nares, vel aures, aut horum, qui ei dolores eueniunt differentiis.

Signa cordis pacientis.

Cap. lxxvii.

QVę vero ī corde fiunt, ex diffīcilis āhelitus ſpēbus, & tremulis motibus ꝙ ipſi cōtingūt, ex pulſibus quoq; eius, atq; æ arteriarum, ab excandeſcēdi celeritate, aut tarditate, à febribus, & refrigerationibus & in colore differentiis, ac eis qui ipſi adueniunt doloribus.

Signa hepatis patientis.

Cap. lxxviii.

QVæ autem in hepate, ex defe ctu humorum, atq; abundantia, & ad id quod præter naturam euersione, & colore malo, ac præterea ex permutatione naturę in his quæ ad alimenti deductioné, aut superfluitatum attinét excretionem: sed & ex grauitatibus, & tumoribus & doloribus, nō modo his qui in eo ortum habent, verum & illis qui cōpatiendi ratione proueniunt, quemadmodum in aliqua, vel spiritus grauis, vel tussis specie.

Signa ventriculi patientis.
Cap. lxxix.

SIc & ventriculi affectus agnoscitur vbi in concoctione, & appetitu humidi, vel sicci aliméti, vel superfluitatum excretione delinquitur. Ita etiam, ex singultibus, eructuationibus, nauseis, vomitibus, & ipsis eorum quæ euomuntur speciebus.

Signa thoracis patientis.
Cap. lxxx.

ITa & thoracis agnoscuntur affectus & spirandi difficultatibus, tussibus, & doloribus q in ipso fiunt,

& ex eorum quæ expuuntur differentia. Sic & asperæ arterię ægritudines, difficiles anhelitus, & dolor in loco, & quæ expuuntur, & vocis offensiones ostendũt. Secundum vero eandẽ proportionẽ, & in aliis omnibus accidit partibus. nam ex tumore, dolore, & operationum læsione, & excrementorum differentia, sumentur indicia. Excrescentiæ autem non naturales, in inflãmationibus, durisq́; ac laxis tumoribus, & erysipelatis, sunt explorandæ. Dolor autem quẽcunq; obsederit locum, aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit. Soluitur autem continuitas incisione, exesione, fractione, & tentione. Alteratur vero substantia à caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate. Læditur autem operatio tripliciter, aut quia vix, aut quia viciose, aut quia nullo modo fit.

De differentia eorum quæ excernuntur. Cap. lxxxi.

QVęcunq; autem excernuntur, nonnulla quidem sunt veluti partes patientium locorum:

nonnulla vero tanq̃; excreměta. Quæ vero in ipſis naturaliter continentur, ſingula propriam facient indicationem. Dictum eſt autem plenius de hiſce omnibus in tractatu de membris paſſis, quem nullus ante nos, aut in artem redegit, aut ad abſolutã perfectionem deduxit: quẽadmodum & in omnibus aliis euenit, quibus initiũ quidem aliquod ab antiquis eſt datum, non tamen abſolutum eſt opus. Ægrotantium itaq; corporum ex tractatu illo indicia ſunt ſumenda. eorũ aũt qui in ægritudinem lapſuri ſunt, & qui ſanitati reſtituendi, pręſens doctrina complectitur.

Signa futuræ ægritudinis. Cap. lxxxii.

EOrum igitur indicia quibus ęgritudinis periculum imminet, mediam formam habent inter ea quæ ſanis, & quæ ægrotantibus eueniunt. ſi quidem ſanis omnia ſecundum naturam inſunt, præter naturam vero ægrotantibus. In confinio autem horum ea quæ ſunt corporum neutro-

rum indicia, quorum nonnulla quidem ſunt ex eorum genere quæ ſecũdum naturam, ſed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel tẽporibus permutata: quædam autem ex his quæ præter naturam, at minora his quæ ægritudinibus adſunt. Atque idcirco hæ quidem corporum diſpoſitiones, quæ in ęgritudinem caſura monſtraui, ſunt ex neutrorum genere, atque vna ea quæ ipſa indicant ſigna. Primo enim hæc ſanitatem oſtendunt, ſecundo autem ęgritudinem: & fiunt eadem ſigna ſecũdum ad aliquid habitudinem, neutra, & inſalubria. quæ quidem præſentem diſpoſitionẽ oſtẽdunt, neutra: quæ vero futuram præmonſtrant, inſalubria. Eadem vero ratione, & quæcunque ægrotantibus ſigna ſalutaria, apparent, dicẽtur quidem ſalubria, quia futuram ſanitatem oſtendunt. dicentur etiam ægra quatenus, præſentem oſtendunt ęgritudinem. Neq; in ambiguo eſt, ꝙ quæ ſunt vtrorunq; indicatiua, neutra dicentur, ſecundum vnum quoddã neutri vocabuli ſignificatum. Neque ve-

ro mirari oportet eadem ſigna tres in diuerſis habitudinibus ſeruare ra, tiones,quę & ſalubria,& ęgra,& neu tra dicuntur. Secundũ vero alterum ſignificatũ,quęcunq; his qui à morbo reſ.rũtur,iſunt ſigna neutra appella, mus.neq; in alio ſignificato accipiunt ea quæ ſenibus inſunt, hæc quidem omnia pluribus, & conceptibus, & rationibus ſubiiciuntur.Quæcunque vero his qui integra ſanitate fruun, tur,inter ſa ubria tãtummodo com, putantur Et quæcunq; egrotantibus inſunt,neque futuram prænunciãt ſa nitatem,ſoli & hæc ægro,tum conce ptui ſubiiciuntur.Sed de his quidem poſtea dicetur:nunc quę futuram prę monſtrant ægritudinẽ prius exequa mur.Cum vero ſit eorum differentia duplex,prius ea pertractemus q̃ quã, titatibus,qualitatibus, temporibus, non autem propriis ſpeciebus ab eo, quod ſecundum naturam, euariant, veluti ciborum appetentia intenta, vel diſſoluta,aut quæ non ſeruet tem pus conſuetum,aut quæ ad edulia nõ viſitata feratur,aut excretiões cibi ſu,

perfluitatum

perfluitatum quæ aut pauciores, aut plures, aut humidiores, aut duriores exiſtãt. Sic humidorum excrementorum, vel defectus, vel ſuperabundantia præter conſuetudinem naturalẽ, aut in colore, aut in cõſiſtentia varietas aliqua, aut in tempore excretionis, & vigiliæ plures, ac ſomnus, aut non cõſueto tempore. Eodem modo potus pluris, aut paucioris, calidi, aut frigidi, inſolens appetitus, ſicuti & circa rerum venerearum vſum immodica, aut intẽpeſtiua cõcupiſcentia, & plures, aut pauciores ſudores his qui ſint opportuni, & ad motus torpor, aut ſi moueri tẽtauerint grauitas, aut vehemẽs exolutio, menſtruorum occultatio, vel immodica, aut diminuta euacuatio. Sic & quæ per ora venarũ (Græci hęmorroidas appellãt) fit ſanguinis effuſio, ſed non eadem quę prius in cibo, potuq; voluptas, ſunt futuræ indicia ęgritudinis, hebetudóque animi non naturalis, aut obliuio quædam inconſueta, aut ſomni qui pluribus imaginationibus abundant, quã prius auditus, & odoratus viſus, ve

hebetiores, aut turbulentiores. Et vt simpliciter dicam quæcunq; secundũ naturam inerant, hæc quidem augmentata, hæc vero comminuta, hæc vero temporibus quibusdã, aut qualitatibus immutata. Siquidẽ & ipsius corporis moles, aut maior, aut minor, aut magis alba, aut magis rubra quemadmodum liuidior aut nigrior ructusq;, ac sternutamenta, & flatus plures, aut pauciores his qui secundũ naturam: sic & quæcunq; per nares, vel palatum, vel aures, per quos meatus cerebrum expurgatur, vel temporibus, vel quantitatibus, vel qualitatibus immutata. Hæc igitur omnia ex genere eoꝝ sunt, q̃ secundũ naturam, morsus quoq; vẽtris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo ĩtestinoꝝ, aut cũ aluus subducitur, aut cũ vomitus excitatur, aut cũ mingitur, siue aliqs alius dolor moderatus ex genere qdẽ existit eorũ quæ p̃ter naturam: non tamen qui ita se habent, ægrotare dicũtur, sicuti neque qui capite grauantur aut dolent, aut vigilant cum nondum in consuetis impediuntur ope-

rationibus. Hic enim in huiuſcemodi diſpoſitionibus terminus eſt. Atque idcirco in eo quod ad aliquid, eandem diſpoſitionem ægram atque neutram appellabimus. Nam pro vigore potentiæ quæ vel facile ſuſtinet, vel vincitur, vnaquæque ex his, quas antea diximus, vel morbus eſt, vel neutra diſpoſitio, ſic & quæcunque in ſenſibus, non in eo quod magis, aut minus inuicem differunt, ſed toto genere ſunt præter naturam. Et hæc ſunt ſigna morborum, donec modica fuerint, & nondum hominem à conſuetis operibus ſufficiunt amouere. talia vero ſunt in guſtu quidem, cum vel ſalſæ, vel amaræ, aut alicuius alterius qualitatis ſapor nobis indicatur, ſiue in omnibus quæ bibuntur, aut manducantur, aut præter quòd aliquid aſſumatur, ſaliua ipſa talis ſentiatur. In odoratu autem quando alicuius vnius qualitatis ſenſum habemus, nullo odore præſente, aut quum plura differentia naribus admouemus, oĩa veluti ſimilia sẽtimus. Sępius vero

nihil ſentimus, aut aliqd fœtens, etiã ſi nihil adſit quod fœteat. Quantum vero ad auditum ſoni, & ſtrepitus ad id quod præter naturam pertinent. Quemadmodum in viſu, quæcunque ante oculos apparere credũtur nigra & atra, & cerulea, & ruffa, & rubra, & nonnulla rotũda, nõnulla autem oblonga, quædam gracilia, quædam craſſa oculis prętendi videntur. In ſenſu autem tactus quum inęqualitas aliqua, vel ſpiſſitudo, vel grauitas, vel tẽtio, vel torpida, vel vlceroſa diſpoſitio in toto corporis habitu ſentitur, ſic & in ſingulis partibus, vel tentio, vel compreſſio, vel morſus, vel grauitas, quando modicæ fuerint, ac minime firmæ, neutram quidem diſpoſitionem adeſſe demonſtrant, futuram vero ęgritudinem pnunciant.

Signa corporum ægrotantium. Cap. lxxxiii.

AT quæ iam in ægrotantibus ſigna videntur, ex quibus nõnulla ſalutem, nonnulla mortem portendunt: prima quidem ſalubria, altera vero genere quidem ægra, ſecundum

ſpeciem autem pernicioſa dicuntur.
Sumuntur autem (vt vniuerſaliter dicamus) ex operationum virtute, ac viciis, ſecundum partem vero ex particularium operationibus, quarum genera antea diximus. Primum quidē eorum quæ principia exiſtunt, ſecundum vero illorum quæ à principiis ortum habent, & tertium eorum quę ex ſeipſis gubernantur, á principiis autem quaſdam deriuationes habēt. quartum ſiquidem genus eorum quæ tunc diximus, ex ſe quidem ad aliqd prænoſcendum inutile eſt. ſecundum accidens autem, & ex his aliquando præcognitiones erunt, quemadmodum, & ex excrementis: ex his quidē compatiendi ratione: ex excrementis autem quoniam coctiōis, & incoctioni: ſigna continent. Quare fieri non poteſt quin omnino ſignificent, aut naturam materiei, aut materiam naturæ, aut neutrum neutro dominari. Salubria quidem ſigna dicentur, natura ſuperante: inſalubria vero ſuperata, neutra autem quæ pugnas habent æquales. Sed q̄ quidē manifeſtā

indicant coctionẽ ex salubribus sunt: sicut quæ cruditatem, ægra: quæ vero neq; coctionẽ, neq; cruditatẽ ostẽdũt, ex neutrorũ sunt natura. Sũt vero & neutra quæcunq; nunc qdẽ hoc nunc vero contrarium significant, veluti digiti denigrati. Talia sunt etiam critica, id est decretoria accidẽtia, de quibus omnibus in libris de crisi dictum est: sicuti etiam de his quæ ad vnam quanq; attinent operationem, in his libris in quibus de causis accidẽtium agitur. Quare omnem horum singulorum materiã ex eisdem libris colligere oportet. Ego vero ꝓlixitati parcens, hic sermoni de signis finem faciam, transgrediar autem ad illum qui de causis.

De causis salubribus, in salubribus, ac neutris. Cap. lxxxiiii.

QVoniã vero & harum hę quidem salubres, hę autem insalubres, hę vero neutrę, primũ de causis salubribus erit sermo. Quia vero, & harum nonnullæ quidem cõseruatrices, nonnullæ vero effectrices sunt autem & tempore, & dignita-

te priores conſeruatrices) incipiendum eſt à cõſeruatricibus. Quum igitur non vnum tantum ſit ſanum corpus, ſed plura, vt ſupra diffiniuimus, in eorum ſingulis propria erit cauſa conſeruatrix. Siquidem omnis cauſa in eo quod ad aliqd exiſtit. Hic igitur denuo ſumendũ initium ab optima corporis conſtitutione, ac quæ ei ſalubria ſint conſyderandum. Eorum autem inuentionem ipſius rei natura inſinuat. Si enim impatibile, atque inalterabile eſſet corpus, ſemper optima conſtitutio perduraret, neque artis præſidio indigeret. Quoniam vero alteratur, corrumpitur, & vertitur, neque eundem ſeruat prioris ſtatus tenorem, ea ratione auxilium deſyderat.

Quod modis noſtrum corpus alteretur.

Cap. lxxxv.

SEcundum quot igitur alteratur modos, tot auxilioꝝ, hoc eſt cãrũ cõſeruatric iũ genera hẽbit, quas ex his q̃ dicta ſũt liquet eẽ ex correctiuaꝝ genere. Sed quia pau-

latim correctiones faciũt, anteq̃ om nis ingruat noxa: non præseruantes à futuro malo, sed pręsentis status cõ seruatrices medici appellant. Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem necessario, à quibusdam vero nõ necessario. Dico autem necessario, quæ nulla est euitandi ratio: non necessario autem reliqua. nam aerem quidẽ nos ambientẽ semper attingere, comederéq;, ac biber̃, & vigilare, & dor mire est necessarium. Ensibus autem, & exitialibus feris obuiare, nõ necessarium. Quare circa primum causarum genus versatur ars corporis conseruatrix, circa secundum autem minime. Quot igitur numero sint ea q̃ ex necessitate corpus alterant, distinguentes, proprium in singulis eorum, causarum salubrium genus innenicmus. Inest igitur vnũ quidẽ ex ambientis aeris adhæsu: alterum vero ex motu, & quiete, & totius corporis, & partium singularum. tertium ex som no, & vigilia; quartum ex his quæ assumuntur: quintum ex his quæ excer nuntur, & retinentur; sextum ex ani

mę affectibus.ex his enim necesse est aliquo modo affici corpus. Ab aere quidem ambiente, quia aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur, vel secundum horum patitur coniugationem, aut in tota alteratur substantia. Ex motu vero, & quiete, cum vtraq; modũ excesserint, aut calefactũ, aut refrigeratum, aut humectatum, aut exiccatum, vel aliquid secundum horum patiens coniugationem Sic & ex somno & vigilia ipsum pati est necessarium secundum eandẽ rationem, & ex animæ affectibus. Ex his quæ assumuntur, aut excernuntur aut retinẽtur, hæc siquidẽ omnia partim quidem euidenter, partim vero per alias causas medias alterant corpus, & sanitatem corrumpunt, & de horum singulis seorsum scripsimus in tractatu qui de salubribus inscribitur. Omnia igitur nunc dicta genera materiæ quædam sunt salubriũ causarum. At vsu opportuno adhibito causæ fiunt conseruatrices, atq; salubres: sed vbi ámodo deliquerint, insalubres reddũtur. Vnde ẽt liquet ex his

non alias preter has, aut salubres, aut insalubres á nobis existimari oporteret easdem potius, quandoq; quidem salubres, quandoq; vero insalubres, in eo quod ad aliquid esse. Nam vbi motum corpus desyderat, exercitatio q-dem salubris, ocium autē insalubre. quum vero eget quiete, ocium quidē salubre, exercitatio autem insalubris. Eodem modo de cibis, & potibus, & de aliis omnibus statuēdum. Horum enim singula quando (vt necessitas corporis exigit) cum mēsura, ac qualitate oportuna adhibentur, salubria fiunt. at cum citra omnē necessitatē, ac præter modum afferuntur, insalubria. Atque hæ duæ sunt circa salubre & insalubre intentiones, rei scilicet q̄ adhibetur qualitas, ac quantitas. Neque enim est rationi consentaneum, etiam temporis occasionem, quæ in his quę dicta sunt cōtinetur, veluti tertiū aliquod ab eisdem diuersum, ītroducere. Si enim tali, & tanta re allata egeat corpus, nemini dubiū quinetiā in tempore oportuno afferatur occasio. Siquidem temporis inde ortum

habet, quoniã fluxibile, ac facile mutabile eſt mortale corpus, ac ꝑ tranſmutationis modo aliis alio tempore eget auxiliis. Quare nõ eſt tertiũ aliquod ꝑter ea q̃ dicta ſunt, tẽpus. Sæpius autem eo tanq̃ tertio quodam ob eã quã diximus cauſam ad docẽdum vti conſueuimus. Quoniã vero in his ipſis intẽtionibus, & alie cauſæ ſalubres, & id quod ꝓpoſitum eſt genus cõtinetur, rurſus eaſdem repetamus. Optimæ igitur corporis cõſtitutioni cũ circũfuſus aër fuerit in tẽperie poſitus earũ rerũ de quibns nuꝑ diximus quietis ſcilicet ac motus, ſomni, vigiliç, & eoꝝ quæ aſſumuntur, atque excernuntur, quãtitas moderata conueniet. Cũ vero aér ã tẽperie receſſerit, tãtũ á mediocritate euariare oportet quãtus fuerit ab optima tẽperãtia receſſus. Hi vero ſunt mediocritatis termini, in aére q̃dem ambiẽte, vt neq; horreat ꝓpter frigus, neq; ſudet ꝓpter æſtũ. In exercitiis autẽ, cum primum laſſari cœperit corpus, cõfeſtim quieſcere. In cibis autem coctionis perfectio, & excrementorum modus, in

quali, quantóq; conueniens, æqualis vero in his quodámodo est coctioni appetitus. quare neq; præside egent, qui singulorum quæ assumuntur quãtitatem metiatur. Optima siquidem natura, quãtum appetit, tantum etiã cõcoquit. Sic & somno modum ipsa natura prefinit, his qui optimam corporis constitutionẽ sunt sortiti: & tũc à somno excitantur, cum corpus ampliori quiete non eget. Cumq; talem victus rationem adhibuerint, nullum est in eorum excrementis delictum, quæ vel per ventrem, vel per vrinæ meatus, vel per totum corpus egeruntur. Nam priora quidẽ ex modo eorum quæ assumuntur temperantur, totum vero corpus salubriter perflari facit exercitii vsus moderatus. Liquet autẽ ab ipsis caueri oportere, omnes animi immodicos affectus, videlicet, iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ. Hæc enim alterant, atque à naturali statu corpus auertunt.

De venereis. Cap. lxxxvi.

VEnereorum vero, iuxta Epicuri sententiam, nullus est vsus salu-

bris.Re vera autem cõfert,ſi tantum interualli. in eorum vſu adhibeatur, vt neque reſolutio aliqua ſentiatur, & ipſe ſe ipſo homo quodammodo leuior factus, ac melius ſpirare videatur. Tempus vero ad vtendum opportunum,cum in exceſſuum omniũ mediocritate corpus fuerit conſtitutum: cum ſcilicet neq; ſupra modum plenum,neq; vacuum extiterit aut in calore,aut frigore, aut ſiccitatẽ, aut humiditate exceſſerit corpus.ꝙ ſi aberrare contigerit:paruus ſit error. Melius autem illi calefacto,magis,quam infrigidato:& pleno,quam vacuo:& humecto potius corpore,q̃ exiccato vti venereis. Horum autem ſingulorum quæ dicta ſunt, qualitas in optima corporis conſtitutione eſt eligenda.exercitii quidem in quo totius corporis partes æqua proportione mouentur, ita vt non aliæ quidem vltra modum fatigentur, aliæ vero citra. cibi autem & potus optimam habeant temperiem. Sunt enim naturæ conuenientiores quæ optima fuerint prædita temperatura. Eadem in reli-

quis etiam eſt ratio adhibenda. At ſi quod ab optima conſtitutione deficerit corpus, non autem vehementer, & hæ quæ ipſius ſanitatem cauſæ conſeruant, proportione mutabuntur. Sed cum multa ſint huiuſcemodi corpora, per ſingula genera ſeorſum dicendum. Quod igitur in temperatura euariat, inſtrumẽtariarum autem partium ſeruat commoderationem, duplicem habet ſalubrium cauſarum formam: alteram quidem earum quæ ipſius conſeruant temperaturam, alteram vero eam, quæ ad optimam transferunt. Quæ itaq; ipſius temperaturam conſeruant, tantum à cauſis optime tẽperatæ naturę diſtabunt quãtum & totius corporis tẽperatura ab illis euariabit. Calidiora ſiquidẽ corpora calidioris victus rationem expoſcunt. Frigidiora autem frigidioris, & ſicciora ſiccioris, & humidiora humidioris, ac ſecundũ coniugationem calidiora, ac ſicciora calidioris, ac ſiccioris, eadem in reliquis etiam coniugationibus proportione ſeruata. Recte ſiquidem cauſarũ vte-

tur materia, qui naturales earum po tentias agnouerit, veluti quòd motus, defectus alimenti, vigiliæ, excretio, & omnes animi affectus corpus exiccant, at quę his contraria existũt, humectant. Ita vero & calefacientia, & refrigerantia vitæ instituta, & ciborum, ac potuũ, atq; vt simpliciter, dicam, omnium quæ corpori afferũtur, materias quis noscens, atq; poten tias, salubribus vtetur causis, similia similibus afferendo. si quidẽ eius propositum fuerit in eodem in quo acce perit, corporis seruare temperaturã. Quod si permutare, atque ad melius traducere statuerit, alterum est hic sa lubrium causarũ genus, his quidem quas nuper diximus cõtrarium: ęqua liter vero declinans ad alteram partme, à bene temperatis, & mediis, quæ optimis conuenire naturis dicebamus. Calidior siquidem, ac siccior temperatura, à calidioris, ac sicciorìs victus ratione ad exactissimũ bonæ tẽperaturæ habitũ minime transfertur. At taliũ erit vsus necessarius, q̃ tantum eis, quæ bene temperata exi-

ſtunt, frigidiora ſint, atque humidiora, quantum & natura naturam in caliditate, & ſiccitate ſuperabat. nam tale cauſarum genus naturales corrigit intemperantias, alterum vero de quo ſupra diximus temperaturã conſeruat. Eſt autẽ vtriuſq; viciſſim apud medicos vſus neceſſarius. nam cum plurimum ſuppetit ocii, corrigere oportet, ac ſenſim ad meliora tranſferre. Neque enim natura patitur eas quæ ſubito fiunt alterationes: hominem autem neceſſariis occupationibus diſtrictum, in eodem præſtat habitu conſeruare. Quo pacto igitur & hoc ipſum primum cauſarum genus conſeruatiuum appellamus: nam forte magis alteratiuum, & curatiuum & naturalium defectuum correctiuũ vocare conueniat. Quoniam ad vniuerſum ſanitatis genus referentes nõ ad eas quæ ſecundum ſpeciem differentias quæcunque ſanos conſeruant, conſeruatiua omnia vocamus: ſiue præter id quod ſanitatem cõſeruant ad melius totam traducant temperaturam, ſi priſtinum tantũmodo habitum

bitum

bitum teneantur:at quæ deteriorem ſtatum efficiunt,inſalubria. Quæcũque igitur ſimilem habent in omnibus corporis partibus intemperiem, eadem egent procuratione:quæ vero diſſimilem,diſſimili. Nã fieri poteſt vt ventriculus frigidior ſit q̃ꝫ oporteat,caput vero calidius, atqꝫ vtrunque propriis egeat auxiliis,ac ratione eadem ſingulæ aliæ partes cum fuerint aut præter modum humidiores, aut ſicciores,aut calidiores,aut frigidiores,ſiue intemperiei victum exigunt accommodatum. Neqꝫ igitur modo eodem omnes tales corporis partes exercebimus,neqꝫ ęqualiter humectabimus,aut exiccabimus aut tale aliud quippiã agemus.Plenius vero de his diximus volumine illo, quod de ſalubribus inſcribitur.

De cauſis ſalubribus partium inſtrumentarium. Cap.lxxxvii.

INſtrumentariarum autem partium cauſæ ſalubres, quẽadmodum & hic ab optima conſtitutione delinquitur,ita & ĩuicem diſtabũt.Aliæ enĩ ſunt ſalubres erro-

ribus qui in formatione consistunt, alia his q in magnitudine, vel numero, vel positu. In formatiõe igitur plures contingunt errores, nam & figura partis, & si qua in ea cauitas est, secundum naturam, vel meatus, vel orificium, vel asperitas, vel lenitas, quando a naturali mediocritate recesserit. Si quidem parum hoc patiantur: salubrium corporum retinent appellationem. si vero amplius insalubriũ. Quòd si tantus fuerit recessus, vt operationi afferat detrimentum, iã ęgrotare dicentur. Secundum quantitatẽ autem excessus, atque defectus ad easdem ducit differentias. In numero vero, siue vna, siue plures quæcunque ex similaribus partibus fuerint, aut deficiant, aut superabundent. Ex hoc genere etiam sunt quæcunque in nobis substantiæ præter naturam consistũt. Reliquum est aliud genus, quod ad situm cuiuslibet simplicis attinet partis, in quo & ipso quattuor sunt omnes differentiæ. prima quidem quæ optima existit: secunda vero quæ parum euariat, atq; ideo salubre adhuc

efficit corpus:& tertia :quæ inſalubre quando amplius à modo receſſerit: & quarta quæ iam ęgrum receſſu plu rimo reddit. Quæcunque igitur par, tes in figura delinquunt, veluti quæ blæſæ, varæ,& obliquæ appellantur: hæ quum nuper natus adhuc tenellus eſt, formatione, atque alligatione, ad naturalem traducuntur habitũ. quòd ſi iam aucto infante ad duritiam per uenerint, emendari non poſſunt. Sic errores quidem qui ad cauitatem at, tinent, cum adhuc augeri perſeuerãt, correctionẽ admittũt. cũ aũt iã ad vl timũ puenerint, nullus eſt remedio lo cus. Cauitates igitur, quiete, atq; alli, gatione paruę redduntur. magnę ve ro partiũ operatione,& ſpũs retẽtio ne. ſic & quæcunq; foramina oráq;. Et quidẽ q̃ naturalẽ magnitudinem par tes expurant, quiete,& accõmoda al ligatiõe minores redduntur, augẽtur aũt & naturali motu & frictione mo derata, quibuſcũq; aliis plus ſangui, nis attrahere natura aptis. Deficien, tes vero partes quęcunq; ex ſanguine ortũ habuerint, corrigi qdem nõ eſt

impoſſibile. quæ autem ex ſemine, ꝓ-
pemodum impoſſibile exiſtit: licet ta
men aliquando loco eorum alia face
re quæ vſum haud diſſimilem præ-
ſtent. Earum vero omniũ natura opi
fex eſt, medicus autem miniſter. Quę
vero numero excedunt, his ablatio
cauſa ſalubris exiſtit. inſpicere vero
oportet in quibus id fieri poſſit. Nam
ſi impoſſibile appareat, tranſponere
tentandum eſt. Eadem eſt & eorum
quæ in ſitu vicia ſunt emendatio. ne-
que in obſcuro eſt quòd duo ſæpius,
aut tria vitia eãdem partem poſſunt
occupare, ſicuti in eo qui ventriculũ
paruum ſimulatque rotũdum, atque
aduerſus ſeptum habuit incumben-
tem. In ipſo etenim, magnitudo, for-
matio, ac ſitus erant deprauati, tem-
peratura quoque frigidior exiſtebat,
hic nullo artificio ad naturalem ha-
bitum tranſferri poterat: at ne adeò
infeſtaretur erat remedio locus. nam
quoniam repleto ventriculo difficul
tate ſpirandi premebatur, minus ci-
bi, at magis alimento opportuni, &
qui non difficulter ſubduceretur, ter

die aſſumebat. Alteri vero cui obſtru ctio in hepate ob vaſorum anguſtiã ſæpius contingebat, extenuãs victus pro remedio inuentus eſt.

De ſolutione continuitatis.

Cap. lxxxviii.

Reliquum igitur id morbi genus eſt, qud & ſimilaribus & inſtrumẽtariis partibus commune exiſtit. ſolutio ſcilicet continuitatis quâ quiſpiam forte his vnquam adeſſe negaret qui integra ſanitate fruuntur, quoniam ſemper ſit paſſio quem ſane latet eandem in omnibus generibus fore dubitationem. Niſi enim operationis læſio ſenſibilis, ſanitatem ab ægritudine ſeparet, ſed qualitatem tantũ modo diſpoſitionis introſpiciamus, perpetuæ paſſibilitatis dogma neceſſario recipiemus, cum nullus ſit q omnes operatiões optimas habeat. Sed de hoc quidem, vt quod ad logicam potius pertineat contemplationem, ſeorſum conſideretur. Salubres vero cauſas, vt his quos nemo dubitat ęgrotare, deĩceps percurramus à mala temperatura exordium facientes.

Hic vero prius distinguamus quę omnes feré medici prætermittunt, alias quidem esse salubres causas eius intemperaturæ quæ iam facta est, alias autem illius quæ & adhuc fit, sicuti etiam alias eius, quæ futura est. Huius itaque postremæ, hæ quidem in præseruatiua artis parte continentur hæ vero in salubri. Primæ autem inter omnes incuratiua tantummodo, sed eius, quam mediam inter vtranque locauimus, in præseruatiua, & curatiua. Iam enim factam, atque existentem ægritudinem curare oportet: sed quæ nondum quidem adest, at futura est, prohibēdum est ne fiat ab ea quæ est in corpore dispositione. Eius autem quæ adhuc fit, quod quidem factum est curare opus est: quod autem futurum, prohibere ne fiat Prohibebitur autē sublata ea dispositione, quam sequi natura apta est. Talis vero dispositio causa antecedens appellatur. Facta autem ægritudo curabitur soluta ea dispositione à qua primum, ea quæ secundum naturam læditur operatio, quam qui

dam & ipſam morbi eſſentiam dici-
mus eſſe.

De communiſſima inten-
tione curatiua.

Cap.lxxxix.

CVratio vero vnam præcipuam,
ac communiſſimam habet inten
tionem, ad id quod eſt diſpoſitio-
ni auferendæ contrarium. Ex hoc ſi-
quidem genere ſunt cauſæ illę omnes
quæ ſanitatem efficiunt. Secundum
partem vero, ex vnicuiq; diſpoſitio-
ni contrariis. Calido igitur affectui,
cauſa frigida cõtraria exiſtit, frigido
autem calida: eademq; in cęteris pro-
portione. Etenim ſi omne ĩmodera-
tũ eſt prẹter naturã, moderatum ve-
ro ſecundũ naturam: neceſſe eſt om-
nino, vt ĩmoderatũ ab ĩmoderato cõ
trario ad mediocritatẽ redigatur. At
manifeſtũ eſt quòd ſecundum poten-
tiam, non aũt imaginationem: & ca
lefaciens, & refrigerãs, & q̃cunq; alia
huiuſcemodi oportet aſſumere. Vo-
co aũt ſcđm potẽtiã qđ re ipa vere ta
le exiſtit, quale eſſe dicitur. Secundũ
imaginationẽ autẽ, quod ex prõpto

quidem ſenſu tale eſſe imaginamur, cum tamen vere tale non ſit. Sed qua ſint hæc ratione diſtinguenda, diximus in his libris, in quibus de ſimplicium medicaminũ poteſtatibus agitur.. Ad inuentionem autem ſalubrium cauſarum, quæcunque quidem, vt ad eam quæ iam facta eſt ægritudinem, cauſæ ſalubres exiſtunt, via illa doctrinæ vtendum, qua id quod imaginamur, ab eo quod talem habet poteſtatem, ſeparetur. Quæcunque vero, vt ad eam quæ adhuc fit, & hac eadem via, neque illa præterea, ex qua ægritudinem cauſæ inueniuntur. Eſto enim ſi ita contigerit in humoribus putreſcentibus accendi febrem. Indicatio in huiuſmodi eſt euacuatio, atque alteratio, hæc quidem quæ putredinem finiat manente adhuc ſubſtãtia, euacuatio vero quę totam ex corpore ſubſtantiam educat. Sed dicta quidem alterationis ſpecies concoctio exiſtit, quam vbi inuenerimus á quibuſnam cauſis fieri contingat, tunc vtique eorum quæ hoc pacto ſalubria ſunt ſcientiá tenebimus.

Euacuationes autem fiunt,& per ſan guinis emiſſionem , & clyſteris v- ſum, & per vrinæ vias , atq; eam quę per cutem fit trāſpirationem,ac præ terea per eam quæ fit ad partes oppo ſitas attractionem,atq; ad alias pro- pinquas deriuationem.Nā & ad hoc idem genus pertinet citare menſtrua atque ora venarum,quæ Græci hæ- morroidas appellant,aperire,ac per palatum,nareſque expurgare. Cum igitur & hic materias inuenerimus, quibus in qualitate,& quantitate , & modo vſus adhibitis,euacuatio fit,in ipſa artis parte ſalubria inuenientur, atque eorum omnium inuentio tra- ditur in eo volumine,quod de arte cu ratiua inſcribitur.Eadem ratione in aliis tribus intemperaturis , ſi vnum commune pręceptum obſeruabimus vt vnamquanq; prius quæ efficit cau- ſam reſcindamus:deīde ita ad illam, quæ ab eadem cauſa facta eſt,ægritu dinem accedamus,cauſarum ſalubri um inuentionem faciemus. Secundū vero compoſitas intemperaturas ex ſimplicibus cōpoſitio cōmonſtrabit

ſalubria præcepta, cum hic quoq; ſtuduerimus pro magnitudine intemperaturæ eidem conueniens inuenire remedium. Veluti ſi ita contigerit quod in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem ea quę naturæ cõueniat, decidat corpus, ſeptẽ vero ad ſiccitatẽ maiorẽ: tunc ſalubrẽ cãm in huiuſcemodi affectibus eſſe oportebit, decem quidẽ numeris frigidiorẽ ſeptem vero humidiorẽ. Si igitur ipſi particulæ patiẽti admoueatur tale remediũ: tãto erit frigidius, atq; humidius, quantum exigit partis affectæ iudicatio. Quòd ſi particula affecta in penitioribus locis ſita ſit, machinari oportet inſuper tale inuenire ſalubre remedium, cuius vis nequaquam in itinere antea ſaluatur. Si itaq; calidius eſſe oportuerit, eo quod eſt moderatum, non ſolum tantam habeat caliditatem, quãtam exigit morbus: ſed vltra eandem menſuram tantum adiiciatur, quantum ex ſitu, vt pertingere poſſit ad locum patiẽtem, ſit neceſſarium. Si vero frigidius: non ſimpliciter tantum frigiditatem oportet

augere, ſed & materia quoque prius eſt animaduertenda. Si enim craſſa ſit, non admodum poterit ad profunda penetrare: at potius cõtrarium præſtabit effectum, ſpiſſando ſuperficiem, atq; dēſando. At ſi tenuioribus partibus conſtet poterit ſane plurimam ſubire ꝓfundū. Idem in humectantibus, atq; exiccãtibus accidit, in quibus craſſitudo atq; ſubtilitas partiū ſubſtantiæ eſt inſpiciēda. A ſitu quidem loci, vt nuper diximus īuenit indicatio ſalubre remedium. A formatione autem, & ſitu ſimul, quando eſfluxus ſenſibiles, atque ad alium locum foraminibus patentes habuerīt, aut his omnino caruerint. Quos enī effluxus ad principales deferri partes cognouerimus, auertemus: atque ad illas impellemus quæ nullum habent principatum. Illud vero manifeſtum, earum quòd quæ intemperaturam efficiunt cauſarum, curatio fit ꝑ euacuatiõnem. Nam ipſæ intēperaturæ ſola alteratione ſanantur.

Curatio ſolutionis continuitatis in parte carnoſa. Cap. xc.

Continuitatis autem ſolutionis, curatio intentionem quidē habet vnionem, quæ in partibus quidem inſtrumentariis impoſſibilis eſt, in ſimilibus vero non ſemper poſſibilis. At quandoque, ſicuti in carnoſis ſanitas conglutinatione perficitur, nil vero differt, neque ſi coalitum appellaueris. Ipſam vero antecedit, quādo vulnus maius extiterit partiū applicatio diſtantium, quæ ex formationis genere exiſtit. Vt autem hæc ipſa firma, ac ſtabilis fiat, & alligatio cogens in vnum quæ diſtant, & fibulæ, & ſuturæ vtiles ſunt. Coaleſcere autem facit ea, quæ inuicem diſtant, ac priſtinam reſtituit vnitatem ipſa natura. Noſtrum vero opus eſt, vt diximus, applicare extrema diſtantiū partium, atq; ita vt in vnum coacta ſunt, conſeruare, & tertio loco cauere ne quid labris vlceris intercidat, & quarto ipſam partis ſubſtantiā conſeruare ſalubrem: ſed quo pacto & primum, & ſecūdum impleamus officium, dictum eſt. Tertium vero in cogendo in vnū partes diſtantes exe-

quemur, ſi nihil extrinſecus incidere permittamus, quoniam ſępius vſu euenit, vt pilus, aut oleum, aut aliqua alia humiditas interueniens earum quę copulandæ ſunt, partium, vnitatem impediat. In eo autem quod ſequitur tempore per ſuffluxiones tertia intentio retinetur. Ipſam vero ſuffluxionem ex eiuſdem, & contrarii loci diuiſione, & figura opportuna comparandum. Partis autem ſubſtãtiam ſalubrem cũ mediocriter exiccantibus conſeruabimus. Hæc quidẽ eſt ſolutæ continuitatis curatio, cum ipſa ſola ſeorſum in carnoſa parte conſtiterit. Quòd ſi alicui alteri morbo coniungatur, plures ſunt indicationum intentiones: quas in compoſitorum vel complicatorum, ſiue vt cuiq; appellare libuerit, doctrina tra demus. In præſenti autem ſermone ad reliquas vnitatis ſolutiones accedendum.

De ſolutione continuitatis in oſſe.
Cap. xci.

FRactio igitur eſt continuitatis in oſſe ſolutio; quæ quantum ad in-

tentionem primam insanabilis existit: quoad secundam vero quodammodo sanabilis sit. Prima igitur intẽtio est coalitus partium, qui ob ossis duritiem fieri non potest. Secũda, alligatio quæ fit collo supernato partes fractas alligante. Calli autem generatio qua quidem ex materia, & à natura fit, est & ad alia communis. Qua vero formam ossi vicinam habet, ex eiusdem fit alimento. Molle vero, & puerile os coalescere potest. Sed perraro fit talis affectus, quin cũ altero societur. Magna enim ex parte musculi adiacẽtes vnà corporibus aliis fractis ossibus partiuntur. Quare & curationis intentio oritur duplex, quarum altera quidem circa ossa, altera vero circa corpora adiacẽtia versatur. Sed hæc quidem in carnosarũ partium complicatis dicetur affectibus, nunc vero de fractionibus dicendum. Quoniam enim harum sanitas callositate procuratur, vt callus generetur, proprii ossis alimenti superfluitatem naturæ suggerere oportet: hãc vero superfluitatem in qualitate, ac

quãtitate seruare modũ ẽ necessariũ. vnde & ratio victus ẽ adhibẽda: quæ tãtũ ac talẽ influere ossibus sanguinẽ præparet, qualis, & quãtus generãdo callo sit opportunus. Qm̃ vero p fracti ossis cauernas idẽ effunditur sanguis eiusdẽ qualitatẽ, & multitudinẽ aĩaduertere oportet: atq; ita vel siccioré, vel humidiorẽ victũ instituere. S d hæc oĩa in libris, in qbus de curandi rõne tractatur, pleni⁹ sunt explicata.

De punctura nerui, & chordæ. Cap. xcii.

NErui vero, & chordæ punctura, propter sensus vehemẽtiã, & quoniã hæc pars principio continuatur, prõpta ẽ ad neruorũ cõuulsionẽ excitandã: ac tum præsertim, cũ nihil extrorsum expirat obcæcato cutis vulnere. Aperiẽdũ est igitur, atq; exiccandũ substãtia tenui, q̃ vsq; ad ima nerui offensi possit penetrare. De his vero exacte dicimus ĩ libris de arte amãdi cõscriptis. In simplicibus qdẽ huius generis affectibus salubriũ causaꝝ forma talis existit. In cõpositis vero cõplicatur vlceribus, prima qdẽ cauitas,

quam non alterum affectum, ſed vl-
ceris differentiã eſſe arbitrantur. Eſt
autem non differentia huiuſcemodi
res, ſed alterum aliquod totius ægri-
tudinis genus, in quo ipſius ſubſtan-
tiæ iactura facta eſt. Et quidem cura-
tio in duplici morbo, duplicem exi-
git intentionem. Nam continuitatis
ſolutio vnitate: ſubſtantiæ autem ia-
ctura, generatione indiget. Paulo ve-
ro ſupra generationis intẽtiones ex-
poſitę ſunt. Quòd autem primũ qui-
dem hũc affectum oporteat ſanare,
demũ vnitatẽ reſtituere tentare ipſa
rerũ natura cõmonſtrat. Cũ itaq; re-
pletũ quidem fuerit cauũ, vlcus vero
ad æqualitatẽ perductũ, alterã inten-
tionem aboleri cõtingit. Nam media
exiſtente inter labia vlceris ea carne
quæ nuper eſt genita partes quidem
diſtantes vniri eſt impoſſibile, vnde
fit vt alia ſit intentio perquirenda.
Intentionẽ autẽ conſequemur, ex eo
quod eſt ſecundũ naturam ipſi parti
comparando, erat autem eidem cute
obduci naturale. Quare hoc ipſum à
nobis procurandum, aut ſi hęc intẽ-
tio

tio effectum ſortiri non poteſt ſimile aliquid cuti, carnem ſcilicet quę cutis naturæ vicina ſit, inſtaurandum. Eſt autem huiuſmodi q̃ & ſicca, & callida ſimilitudinem præ ſe fert. Ad cicatricem igitur obducendam neceſſaria erunt exiccantia, ac ſine mordacitate adſtringentia medicamina. Ita & ſi ſordities aliqua fuerit adnata intentio quidem erit abſtergendi, & erit medicamen ſalubre abſterſiuum. Eorundem vero materiam in libris, in quibus de medicaminibus agitur, ſcripſimus. Et quidem ſi aliqua inflãmatio, vel attritio, aut tumor prædurus, vel mollis, & laxus cum vlcere fuerit, prius eorum curationi intẽdere oportet, eas ſequendo vias, ac rõnes quas prius expoſuimus. Sic & ſi aliquid vlceri illabitur, ad illabentium curationem intendendũ. Eodem pariter modo ſi aliqua intemperies vlceratũ locum obſederit, ad eiuſdem intemperiei remedia antea veniẽdum. Sed de his quidem ſatis.

De ſpeciebus morborum ſecundũ formationem. Cap. xciii.

NVnc vero trāſeundum eſt ad formationis genus, quod in plures ſecatur differētias. At ab eo quod euidentiſſimum exiſtit, exordium eſt ſermonis faciendū, quod ex figurę permutatione cōtingit. In his igitur qui adhuc creſcunt, poſſibile eſt plurium partium figurā emendare: in his aūt qui iam aucti ſunt, minime. Intentio tamē quoad fieri poteſt, curationem adhibere ad contrarium euerſionis, adducendo. Si vero fractione aliqua non recte cōformata, alicuius mēbri figura fuerit vitiata, cui ſubſtātia calloſa īnaſci præuenerit, ſi quidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere oportet, ac rurſus recte afformare, deinde callum ſuperinducere.

De obſtructione. Cap. xciiii.

EST vero & obſtructio ex eodē genere ægritudinum, quæ quidē ex lentis, & craſſis humoribus ſit, vnam & ipſa habens intentionem morbo cōtrarium. dico autem apertionem. Cauſę vero ſalubres ſunt abſtergētia, atq; incidentia medicamina. Quæ vero fit a ſtercore duro, quod interſepit

inteſtinum, primum quidẽ habebit duritiei remediũ ex humidis, pinguibuſq; clyſteribus, demum ex acribus euacuationẽ expoſcet Quę aũt à lapide fit in veſica, in prǽſenti quidẽ trãſpoſitionẽ requirit, integrę vero ſanitatis cauſa inciſionẽ, & extractionẽ. Humiditas aũt quę prętet naturã continetur, ſanatio in oĩmoda euacuatione cõſiſtit, quẽadmodum etiam in ſuppuratis. Immodica autẽ repletio ĩmodica euacuatione curatur, vt cũ ſanguis intra venas redundat. Sic & quibuſcunq;, in ventriculo, vel inteſtinis, vel arteria aſpera vel pulmone, pus, aut ſanguis continetur, integra euacuatio eſt neceſſaria: ſuperflui aũt cibi, aut potus adhuc recentis aſſumptio euacuatiõe corrigitur. Quæcũq; igitur in pulmone, vel pectore continentur, cũ tuſſi educuntur, aut à medicaminibus extenuantibus. Quæcunq; vero in hepate, vel venis, vel arteriis, vel renibus, aut per vrinã, aut per ventriculũ. Sed per vrinã quidẽ, ab his q̃ vehemẽter extenuant. per vẽtrẽ vero, ad his quæ attrahẽdi, aut apiendi ora

vim hñt. Quęcunq; vero in superiori ventre comprehenduntur, per vomitum: quę autem in inferiori, per subductionem. Sed quęcũq; sub cute per sectionem, vel ignem, aut per medicamina adurentia. Sic vero aliquãdo quęcunq; in aliqua naturali cauitate, vt in thorace. Et vt summatim dicã, quicquid pręter naturam ĩ aliquibus partibus continetur, sanationis intẽtio est ablatio: quę si fieri non possit, transpositio. Quę vero non sunt ex genere præter naturam, at quantitate dãnantur, in his intentio est abeuacuatio. At inuẽtio eorum quæ ad ipsorum sanationem perducunt, partim quidem ex affectu, sed præcipue ex ipsis affectis particulis sumitur.

De asperitate & leuitate.

Cap. xcv.

QVæcunque partes vero ob id quód exasperatæ naturalem amiserint habitum, his leuitas naturalis est restituenda, ossa quidem leuigando, arteriam autem, & linguam leniendo, humidis quæ nihil mordeant, & lentorem habeant.

sed quibuſcunq; leuitas ineſt non naturalis aſperitas eſt reuocanda medicaminibus, quæ ſufficiẽter abſtergãt, & parum adſtringant. Quæcunq; vero, vel obſtructiões, vel anguſtię meatuum, alias ſequũtur ægritudines, ab illarum curatione prius eſt incipiendum. Oſtenſum ſiquidem eſt in libro de differentiis morborum, quód & inflammationibus & duris, laxiſque tumoribus, & ſiccitatibus, aliquando immodicis, ac præterea vitioſis partium continentium figuris, ea quæ nuper diximus, ſæpius adueniunt: ſicuti & quibuſdam tumoribus eorum quę ſunt in ambitu corporum. Quòd ſi nõnulla ex proxime dictis inuicem complicentur, varias habebunt indicationes. Sufficiet autem in vno exẽplo habuiſſe ſermonem, quoniã de omnibus in libris de arte curandi plenius ſumus exequuti. Supponatur cuipiam particulæ multitudinem ſanguinis influi, adeo vt intendantur in ea venæ, non maiores tantum, ſed etiam paruæ, quæ prius ſenſum effugiebant, nunc vero iam plenæ viſu

comprehenduntur, ſicuti plærunque in oculis ob tunicæ albedinem manifeſtiſſime patet: par ſiquidem ē quòd & alia vaſa quæ latent ſenſum, iam plena diſtendantur, nondum & ipſa ob paruitatem viſui manifeſta: & iã periculum imminet, ne quod ex vaſis exudat, ad ſpacia vacua, quæ in medio ſunt, effundantur, aut ne iam paucum aliquod ſit effuſum. Huius quidem affectus ſanatio intentionē habebit euacuationem, aut (vt manifeſtiori vocabulo vtamur) abuacuationem: ſiquidem morbus erat immoderata partis repletio. Neceſſariũ igitur eſt, vt aut ſuperfluitas retrocedens euacuetur, aut per ipſam patiētem particulam. Retrocedet autem, vel impulſa, vel attracta, vel tranſmiſſa, vel horum vno aliquo modorum vel omnibus. Per locum vero patientem euacuabitur, partim quidē manifeſte, & ſenſibiliter, partim vero in vapores reſoluta. Si igitur vniuerſum corpus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minime euacuandum. Nam ſi ſacrificationibus, aut ſe-

ctionibus sensibiliter euacuabimus.
plus ratione excitati doloris attrahe
mus. Si vero calefacientibus disper-
gere tentabimus, plus erit id quod vi
caloris ad partem attrahetur, quam
dispersum. Quòd si in eo elaborabi-
mus, vt quòd influxit retrocedat, cor-
pus plenum non admittet. Ad hæc
igitur ambo totum corpus euacuare
oportet, aut omnino ad cõtraria lo-
ca retrahere quod patienti particulæ
influit: quo pfecto opere, prius à pte
repellẽdũ, mox dispergẽdũ. Quanto
enim p minora fit, tãto expeditior ẽ
euacuatio. A patiẽte vero loco adstrĩ
gẽdo, ac refrigerãdo, repellemus: sed
& exinanita loca attrahũt ad se ipsa
quęcũq; repercutiũtur. Hoc siquidem
ostẽsum est in eo volumine, in quo de
potentiis naturalibus agitur, & vasa
præterea vigore ex medicaminibus
adstringẽtibus addito, a se ad alia re
mittent. Si igitur hac via superfluum
oẽ retrocesserit bene se res habet. At
si aliqd fuerit in pte retẽtuũ, cõiectu-
rãdũ erit id lẽtũ ac crassum existere:
atq; ea ratione iam coactum, atq; ad-

ſtrictum, vt cum difficultate ſolui poſ ſit. Fieri autem poteſt, etiã ſi non eius naturæ ſit, vt ad ſpatia quę in medio, ſit effuſum: in quo caſu tunc ad id veniendum eſſe tempus ſuadet, vt hoc ipſum quod reliquum eſt per patientem locum euacuemus, imponendo ſupra iacentibus partibus ea, quæ influentem humorem repellendi vim habent. Maxime vero euacuabis, ſi in ſpatiis intermediis aliquid contineri coniectura aſſequeris, & ſcarificationum auxilio, & medicaminum quæ vim habeant diſpergendi. Sed quoniam hęc omnia vires calidas habent, eiuſdem vero tẽperaturæ opus eſt mordere quando modum exceſſerit, cauenda ex eis ſunt vehementiſſime calida, ac tum pręſertim, cum patiens locus inter ſumma fuerit. neque enim paruus excitabitur dolor, ſi præter proprium affectum inſuper mordeatur, omniſq; præterea dolor fluctiones commouet. Quòd igitur mediocrem caliditatem obtinet, in his ſenſum doloris non inuehit: atq; eo amplius omni dolore vacat, ſi hu

midum extiterit. Et quidem quicqd per summa hæret, potens est id medicamen dispergere: quòd etiã validas non habuerit ad dispergendũ vires. Quòd si summæ quidem partes omni noxa caruerint, id vero quod euacuari oporteat iu penitioribus partibus fuerit: intendendus, atq; augẽdus dispergẽtis medicaminis calor, cum dubitandum sit ne priusq̃; profundas attigerit partes, interim vires amittat: neq; tamen ex eo superiores partes aliquem dolorem sentient, cum omni vacent affectu. Quare nunc hęc duo simul inuitant ad calidiorum pariter, atq; acrium medicaminũ vsum, & summæ partes quæ tolerãt, & profundę quę egent. Hęc igitur ex patiente particula indicatio assumebatur.
Deinceps vero, si quid ad sanitatem deficiat, consideremus. neque enim paruum aliquid deesse videtur. Affectę partes in quibus fluctionis superfluitas retinetur, nonnullę quidem rarę, & laxę, & molles natura existunt: nonnullæ autem densæ, & pressæ, ac durę. Priores igitur facile euacuãtur,

reliquæ autem acrioribus euacuantibus, ac præterea tenuiores partes habentibus, egent: atque eo etiam magis, quanto profundiorem ſitum habuerint. Hæc igitur tibi rurſus ſit indicatio, altera à particulæ pacientis ſubſtantia: alia vera à formatione ſimul ac ſitu. Supponatur enim, ſi ita contigerit, in hepate eſſe proxime dictum affectum, in anguſtiis vaſorum finibus intruſis humoribus, qui vel lenti, ac tenaces, vel craſſi exiſtant, vel ſupabundent. Nonne in promptu ē, primum quidem craſſitiem, vnà cū lentore, & tenacitate, cibis, ac potibus extenuantibus, ad ſubtiliorum partium ſubſtantiam transferri oportere? Secundo autem loco non per anguſtos, atque inuiſibiles, ſed latiores meatus quicquid infeſtū exiſtit, eſſe euacuādum? Sunt enim in hepate venæ non minus amplitudine, quā numero excedentes: terminātur autem hæ quidem in gibbis ad venam cauam, hæ vero in cauis ad portam. Vnde haud difficile tibi futurū vbicūq; preſſi, ac ſtipati humores fuerint

eoſdem expedite euacuare, trahẽdo quidem ad ventrem cum his quæ attrahendi vim habent medicaminibus, quicunque ex ipſis in venis ad caua hepatis pertinentibus aceruati, ad vrinę vero meatus promouendo per cauam venam quicunque in venis ad eam pertinentibus ſunt. Sed pręter ſupradictas alia eſt indicatio ab hepate ipſo, veluti a venarũ principio. nam cum non tantum ſeipſum regere natura aptum ſit, vt plęręque animalis partes. ſed venis pręterea virtutem largiatur, periculum imminet, ne ſi eius vigor madefacientibus, ac relaxantibus, cataplaſmatibus fuerit reſolutus: & ipſum primũ, ad ſui opus atque omnes ſubinde venę eius ratione imbecilles efficiãtur. Quare in eius curationibus aliqua ex aſtringentibus medicaminibus miſcere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco ſitum eſt, dubitandum erit ne aſtringentis medicaminis vis debilitetur: niſi ab aliqua altera ſubtiliũ partium ſubſtantia, qualis aromatum eſt, traducatur. Melius vero

fuerit, si & ipsum adstringens medicamẽ vnum protinus ex aromatum genere fuerit: nam si duas habuerit natura insitas qualitates; ac potestates valentius operabitur. Et quidem euacuetur quod præter naturam in membrum confluxtt. Seruet autem humorum modum naturę conueniẽtem. Quare & illa animaduersio à nobis est adhibenda, ne quid ab humoris confluentis qualitate, eiusdem mẽbri temperies sit alterata, si pituitę naturam tenuerit ad frigiditatem, si vero bilis ad caliditatem, vt hãc ipsam curantes intemperiem sanitati restituamus. Curabimus autẽ, contrariam ex aduerso afferentes qualitatẽ: quẽadmodum in intemperaturarũ curationibus diximus, quantum vnumquodq; calidius, aut frigidius factum est, tantum refrigerantes, aut calefacientes. Quare vt hic rursus agnoscenda est ipsius secundum naturam temperies. Nam quo pacto sciemus quantum in frigiditate, ac caliditate à naturæ modo recesserit, aut quãdo à frigefaciendo supersedebimus, si nos la-

tuerit ea quæ eſt ſecundum naturam caliditas: Ita vero & ſi frigidius effectum calefaciemus, ignorantes frigiditatis naturalis modum: neq; oppor tune calefacere, neq; in tempore à calefaciendo deſiſtere poterimus.

De morbo ſecundum numerum. Cap. xcvi.

SEd quoniã de his ſatis diximus, tranſire iam tempus ad ea in quibus numerus non eſt ſecundũ naturam. Cum vero duplex ſit eorũ differentia quibus quidem aliqua particula deficit his, intentio eſt alteram efficere ſubminiſtrando naturæ, eo quo diximus paulo ante, modo. At quibus ſuperabundat, hanc reſecare oportet, aut ferro, aut igne, aut medicamine, quod vrendi vim habet. Hęc igitur omnia ſanare poſſibile eſt: at non æque omnia generari poſſunt, vt in libro de ſemine diximus. Quædàm vero ſunt, quæ & ſi generari nõ poſſunt, licet tamẽ pro ipſis alterum efficere: quemadmodum in oſſe ex toto ſublato, alteram ſubſtantiam in eius ſede reponere, à carne, atque oſſe

differentem.eſt enim quæ in eius gi-
gnitur loco quædam veluti caro cal-
loſa vel callus carnoſus, & ꝓceſſu tem
poris magis,ac magis ad calli duritiē
tranſfertur,cū ab initio carnis potius
imitetur naturam.Quacūq; pte ſubla
ta,cum neq; eandem ſecundum ſpe-
ciem ſubſtantiam, neq; ſimilem effi-
cere poſſumus, tertia nobis intentio
quēdam decorem inuenire, quemad-
modum in mutilationibus.

De morbo ſecundum magnitudi-
nem. Cap.xcvii.

COmmunicat autē hoc genus to-
tum cum eo quod ad magnitudi
nem pertinet. Nam quodcunq; ex eo
eſt ſecūdum naturam, illi propinquū
exiſtit.Id vero tantum ſeiunctum eſt,
ac ſeparatum,quod inter ea quę ſunt
ē genere non naturali cōnumeratur:
in quo quidem prima intentio eſt ab
latio.ſi vero hæc impoſſibilis exiſtat,
ſecunda eſt tranſpoſitio, quemadmo
dum in ſuffuſionibus.Quæcunq; vero
non integris partibus, ſed partium
tantummodo particulis deficiūt,aut
excedunt naturæ modum:refectio

quidem, vel generatio in his quæ deficiunt, ablatio vero, & abolitio in his quæ ſuperabundant. Quare neq; in ipſis altera inuentio, neq; medicaminum forma genere diuerſa.

De morbo ſecundum ſitum.

Cap.xcviii.

SEd iam veniendum eſt ad reliquũ ſalubrium cauſarum genus quod ea corpora emendat, quæ in ſitu ſunt vitiata: veluti luxationes, & inteſtinum in ſcorto. Fit autem hoc ex violenta tentione, atque impulſu. Hoc vero ex dilatato, ac rupto continente. Quare & duplex ſanandi modus: alter quidem ad oppoſitam partem ei a qua facta eſt permutatio, intendendo, atque impellendo: alter vero id quod continet firmius ſolidiuſque reddẽdo. Quibus vero viis, ac rationibus ſingula inueniri poſſunt, in libris de arte curandi explicauimus.

De cauſis præſeruatiuis.

Cap.xcix.

COnſequens eſt, vt ea omnia exequamur, quæcunq; in ſuperiori

ſermone dicere diſtulimus. Vocant autem eadem præſeruatiua. Eſt autem horum triplex ſecundum genus differentia. Prima quidem hominis qui integra fruitur ſanitate: ſecunda vero eius qui non integre valet: tertia eius qui ægrotat. Primum igitur genus ad ſalubrem attinet artem, atq; in duas, vt antea diximus, diuiditur partes: ſecundum vero ad præſeruatiuam ſpectat: tertium ad curatiuam. Hoc autẽ vniuerſum genus circa humores præcipue negociatur, quos neque lentos eſſe oportet, neq; craſſos, neq; aquoſos, neq; plurimos, neq; vehementer calidos, ac frigidos, neq; mordaces, neq; putredini obnoxios, neq; veneni naturę affines. Nam vbi aucti fuerint, generant morbos. Augentur vero nõnunquam eadem ex cauſa quæ ab initio generauit. Illud autem plærunq; accidit, vt ſua alteratione inficiãt eos qui ſunt in corpore humores. Intentio vero, & horum ſanationis duplex exiſtit, alteratio, atq; euacuatio. Alterantur igitur, vel ab ipſo corpore concocti, aut ab

aliquibus

aliquibus aliis facultatibus quæ vim medicaculam habent:è quorum numero etiam ſunt ea quę exitialium ferarum venenis aduerſantur, ac prætetrea pharmacha quæ venena appellātur tranſmutant. Euacuantur autem ſatis calidis medicaminibus, & purgationibus, & clyſteribus, & ſudoribus, & vomitibus. Hæ quidem igitur ſunt cōmunes euacuationes. Propriæ autem ex locis in quibus coaceruantur, aſſumuntur, vt in libris de ſalubribus oſtendimus: tertio præſertim, ac quarto, in quibus de laſſitudinibus egimus, ac reliquis diſpoſitionibus q̄ laſſitudini natura proximę ſunt. Prōptius enim euacuantur per ventrem quęcunq; in primis venis continentur ſuperfluitates. quæ autem in his quæ in hepate ſunt, per vrinæ meatus. at quæ in toto corpore, per ſudorem. ſicuti quæ in capite, vel per palatū, vel per nares, vel per vtrunq;. quæ vero ſunt in ſpatiis pectoris laxioribus, p guttur ſimul cum tuſſi. quæ in renibus ſunt, vel veſica per vrinam. At trahēdi ex omni loco ad oppoſitas partes

communis ĩdicatio eſt,ad quam maxime diſtantia.deriuatio vero ad vicina.Quæcunque vero huiuſcemodi curãt diſpoſitionem cauſas ſalubres appellamus:ſicuti inſalubres eas quæ adaugent,& neutras quæ neque obſunt,neque iuuant.Poſſet vero quiſpiam,neque omnino cauſas appellare,quemadmodũ maior pars ſophiſtarum,qui rerum quidem differentiam inuenire contemnunt:plurimũ vero temporis in nominibus conterunt,contra quos in aliis vberius diſſeruimus. At pars quidem artis præſeruatiua talis eſt.

De parte artis quæ conualeſcentes reficit,& ſenibus congruit.

Cap.c.

QVæ autem reficit, atq; reſtaurat,in conualeſcentibus,ac ſenibus locum habet. Quæ vero ſit horum diſpoſitio, & a quibus præcipue cauſis,ad naturalem reducitur habitum,in libris in quibus de medendi arte tractauimus,abũde explicauimus,ſed nunc per capita dicetur.Diſpoſitio quidem igitur talis eſt

optimus quidem, ſed exiguus eſt ſanguis, atque vnà cum ipſo ſpiritus animalis, atque vitalis. Ipſę vero particulæ ſolidæ ſicciores, & idcirco eorum vires ſunt imbecilliores, atque earũdem ratione corpus vniuerſum frigidius. Cauſæ vero ſalubres quæ hanc emendant diſpoſitionem, vt vno cõprehendam capite, ſunt quæcunque præſentaneum, atque ſecurum exhibent alimentum. Secundum partem autem, in motibus moderatis, & cibis, potibuſq; , ac ſomnis conſiſtunt. Sunt vero motus materiæ, vehicula ambulationes, frictiones & balneæ, & vbi non parum ſe ex his proceſſiſſe ſenſerint, paulatim ſe ad conſueta opera trãſferant. Cibos aũt aſſumãt, in principio quidẽ humidos, & cõcoqui faciles neq; frigidos, ac cũ ꝑgreſſi fuerĩt, eos ẽt qui plurimũ ꝑſtãt alimẽtũ. Potus vero opportunus eſt vinũ, ętatem quidem habens mediocrem, in ſubſtãtia aũt purum, atq; plucidũ: quod ſcilicet vel ſubflauũ, vel ſubalbum exiſtat, atq; ſuauiter olẽs. guſtui vero, neq; aqueum omnino, neq; cum

aliqua insigni qualitate, aut dulcedine, aut acritudine, aut amaritudine sentiatur. Vt autē proxime diximus, de hisce omnibus in libris de arte curandi cōscriptis, plenius disseruimus. Nunc enim neq; omnia particulatim recensere est nostri propositi institutum, sed solum capitum mentionem facere intendimus, eorum quę in aliis voluminibus latius explicauimus.

Quorum omnium si prius, & numerum & qualitatem exposuero, finem libro imponam. Diximus itaq; prius, quòd alter est liber in quo de constitutione artis medicinæ disseruimus: antecedunt autem eum alii duo de constitutione artium, sed hi quidem vnà cum hoc cui nūc extremam manum adiecimus, seorsum sūt ab aliis libris in qbus plenior doctrina explicetur. Illi vero talem inter se ordinē habēt. De elementis quidem secundum Hippocratem liber vnus. Post hūc autem tres de temperaturis, ex quibus quidē duo sunt de temperaturis animaliū, tertius vero de his quæ simpliciū medicaminum sunt. Quam ob rem &

tractatum illũ in quo de ſimplicium medicaminum poteſtatibus agitur, nemo recte intelligentia aſſequi poteſt: niſi prius tertii libri de temperaturis integram cognitionẽ fuerit adeptus. Eſt & alius liber paruus qui ordĩne ſequitur duos priores alios de temperaturis. inſcribitur autẽ de inæqualĩ temperatura. Similiter autem, & hũc alii duo parui, alter quidem de optima corporis conſtitutione, alter de bono habitu. Alius vero tractatus eſt qui tres complectitur libros de potentiis naturalibus quẽ ſi quis legere velit, poſt librum de temperaturis, ſiue poſt librum de elementis, vtrunque erit conſentaneum. Poſt hunc in pluribus aliis libris de operationibus anĩmalibus diſſeruimus. ſed quoniam ad earum demonſtrationes non parum conferunt quæ per ſectiones oſtendũtur, in illis exercitari oportet. Eſt autem maxime inter alios vtilis ille tractatus qui de ſectionum aggreſſibus inſcribitur. Alii autem ſunt poſt eum plures, duo quidem de diſcordia ſectionis, vnus vero de ſectione mor-

tuorũ:poſt quos ſequuntur hi in quibus agitur de ſectione viuorum. In aliis vero quibuſdã particulatim ob eos ſcripſimus qui introducuntur de oſſibus:ſectio quoq; muſculorum, & neruorum, & arteriarum, & venarum, & quædam alia huiuſcemodi ex eodem numero exiſtunt. & liber etiam in quo quærĩtur nunquid in arteriis continetur ſanguis naturaliter. Qui vero earundem partium operationes demonſtrant, duo quidem ſunt de motu muſculorum: tres autem de pectoris, & pulmonis motu: poſt quos ſequitur liber de cauſis reſpirationis, poſt hunc liber de voce. De principatu autem animæ, & de omnibus aliis quæ de naturalibus, vel animalibus operationibus in quęſtionem trahuntur, in longo volumine ſcripſimus, qui de dogmatibus Socratis, & Platonis inſcribitur. At eiuſdem generis contemplationem pertinet liber, de ſemine ſeorſum cõſcriptus, & amplius, de ſectione ſecũdum Hippocratem: quos omnes ordine ſequitur tractatio de vtilitate partium.

Ad dignoſcēdas autem ægritudines, vtilis eſt liber in quo de membrorū paſſionibus agitur. itidem & ille in quo de pulſibus ſcribitur, in quo & præcognitiones edocemus. Librum vero de pulſibus præcedunt alii duo, alter qui de vſu reſpirationis, & qui de vſu pulſuum. Is vero de pulſibus in quatuor diuiditur partes, primam quæ eorum differentias, ſecundā quæ dignotiones, tertiam quæ eorum cauſas, quartam quæ illam quæ per eoſdem fit, continet præcognitionem. Ex eodem genere eſt ille qui his qui introducuntur, de pulſibus ſcriptus eſt. At vero in animo eſt alium ſcribere librum, veluti quoddam omnium iſtorum, compendium, quem inſcribam, vel artem de pulſibus, vel compendium. Ad hanc quoq; iuuant contemplationem, quæ à me exponuntur, & ſimul iudicantur in libro Archigenis de pulſibus. Ad præcognitionem autem plurimum confert liber de criſibus, ideſt decretis naturę, quē præcedit alter de decretoriis diebus. Sed liber ēt qui de difficili hāne-

ſitu inſcribitur, & ad dignoſcendum præſentem affectum, & ad præſcienda bona, vel mala quæ ægrotãti ſunt euentura, conducit. Hi igitur omnes, atq; vnà cum ipſis tractatus quidam vno tantum libro cõprehenſi cognitu vtiles ſunt, ſicuti illis qui de præincipientibus cauſis inſcribitur, & de medicinali experientia, & de extenuante victu, & qui de uenarum ſectione ad Eraſiſtratum, & qui de tumoribus prętet naturã, & qui de multitudine, atque alii præterea ſimiles. Præ cæteris autem ad curandi ſcientiam maxime neceſſarius exiſtit qui de morborum differentiis agit, & de accidentibus, & tertius præter illos in quo morborũ cauſas, explicauimus: poſt quos ſunt tres alii qui accidentium cauſas explanant. ſunt etiam de medicamentorum ſimplicium viribus libri, de qbus ſupra meminimus, & qui de medicamentorum compoſitione: quos ſequũtur libri de arte curandi, his qui de ſalubribus inſcribuntur, ſeorſum à nobis cõſcriptis. Quòd vero ante hoſce omnes prius exerci-

tari oporteat,in libris de demonſtra tione. Si quis hanc artem cum ratione ſit tractaturus,mõſtratum eſt à nobis in libro qui de optima ĩſcribitur hæreſi.De aliis autem libris, & commentationibus à nobis ſcriptis, tranſigere nũc minime neceſſarium,cum de hiſce omnibus alibi ſimus tractaturi in vno fortaſſis,aut duobus libris qui ita inſcribentur,Galenus de voluminibus ab eo inſcriptis.

FINIS.

HIPPOCRATIS COI DE MEDICO,MEDICIVE OFFICIO, LIBER.



ITERA quidem medici moderatio eſt,proſtaſiaúe, mandatumq́;, quo pacto medicũ munus parari, tractari, & exerceri conueniat. Medici quidem moderationem, proſtaſiamúe hanc eſſe ducimus, proſpicere, quatenus ſuapte natura poſſit, corpore ſano, validóve,colore optimo,habitioreq́;

vti esse studeat: siquidem vulgo censetur, qui male sui corporis curā habeat, cæteros non bene curaturum. Prætærea corporis mundicia, vestiū non suspectis ad omnia odoramentis vtatur, quod languentibus gratissimum est. deinde prudenti, pudenti, & integro animo, moribusq; esto. Non solū taceat quæ tacenda sunt, mores autē probi & optimi sint: sed etiam quantum ad vitam pertinet, moderatam, beneq; dispositam habeat, quod plurimum ad autoritatem comparandam facit: mores autē probi & optimi sunto, quod omnibus colendū & amandum reddit. Petulantia nāq; & garrulitas despicitur, & si admodum vsui, vtilis ve videatur, & sit: facultates autem, opes ve respectato, cōsiderato ve, quæ apud habentes raro æstimantur, amantur ve. Schemasi vero, formis ve, siue figuris, gestibus ve cōpositis languentes addito: prudentiā quidem vultus præ se ferat lenem, mitem ve, non asperam, acerbam, amaram ve: nam hoc non probi, sed improbi & audacis, hominisq; perosi,

ſpernentiſq; eſſe videtur. Qui autem in riſum ſolutus eſt, & nimis lętus eſt, moleſtus languentibus eſt. Quam ob rem medium ſeruato, parq; & æquabilis in omni conſuetudine eſto: nam languentibus paritate quadam, & iuſtitia in multis ſuccurrendum eſt nec parua eſt conciliatio, beneuolentia ve languẽtium erga medicos, ſi quidem totos ſeſe illis dedunt. Præterea medicus omnibus horis, fœminis, virgunculis, rebuſq; non parui momenti occurſat, quibus oĩbus manus, oculoſq; abſtinentes habeto, ſicq; & corpus & animum paratũ, diſpoſitum habeto: mandata vero, præcepta ve, quæ ad medicam artẽ pertinent, per quę eius artifex dicendus eſt, hęc ſunt, vti cum diſcere, medicãq; artem exercere cœperit, ſtudeat, diſcat, ſciant ve, quę ad munus medicũ pertineant. Primum habitationis locum ægro cõmodum deligat, quo nullus malus ventus moleſtet, ſoliſq; lumẽ, ſplendor ve per ortum non deſerat. Lumẽ enim procul & perpetuo tenore lucens, & his q curant neceſſariũ eſt, & his qui curan-

tur molestum. Lucemq; eam omnino sectetur, quæ nihil oculis officiat, noceatue. Lumẽ autem, vti sectemur, mandatur quòd contra faciẽ visumque non sit, nam aciem oculorum debilitat, perturbatque: minima siquidem caussa debilitatos oculos perturbat, lumine itaque sic vtatur. Sedilia postea æque alta habeto, vt qui in illis sedeant, sibi æqualiter conueniant respondeàntue, nihilque æneum habeto præter instrumenta ad rem medicam necessaria. Siquidem hic luxus molestus, & ambitiosus mihi videtur his apparatibus, vasibusue vti. Puram autem, limpidam, bonã, potui commodam his qui curantur aquam præbeto. Linteis autem pannis quibus tergantur, mundenturue, puris, mundis, mollibus, vtitor: caussa autem oculorum ad oculosue tenuibus, mollibus linteolis, spongiis autem ad vulnera: hæc enim per sese probe auxiliantur. Cuncta autẽ instrumẽta vsui necessaria parata sunto magnitudine, pondere, tenuitate, subtilitateue cõmoda. quæ vero por-

riguntur cuncta vti conferant, operā dato, potissimũ autem quæ parti alicui laboranti admouentur: quæ sunt vincula, medicamēta, circaq; vulnera liteola, lineamenta ve, emplastra, linimenta ve. Hæc enim plurimũ tēporis in partibus, & locis affectis cōmorantur: siquidem post hæc, horum remotio, refrigeratio, perpurgatio, aquarum ablutio, parui cuiusdam temporis sunt. Si quidq; pręterea aliud plus, minus ve alicubi peragendum sit, cōsiderato. Hæc enim si fiant vel non fiant, cum vsus est, magnam habent differentiam: colligatio quidem, deligatio ve, peculiaris & propria est medicæ artis qua deligatus iuuatur Hæc autem duo potissimum prosunt, quibus crebro vtendũ est præmere, stringere ve, cum & vbi oportet laxiusq; superligare. quo autem ad anni tempora, quãdo supertegere, optimeque conuoluere, & quando non oporteat diligenter considerato, ne quauis horum obliuione lædatur, debilitetur ve languēs, vel quod affectum est, quod cum vsus fuit, factum non est. Super-

ligationes autem, deligationes ve pulchras, ſpectandaſq; cõtemnito. Moleſtum enim hoc eſt & oſtentatorium, iactabundũ ve, ſæpiuſq; curatũ lædit: languens enim vtilitatē non ornatũ captat. Manuum autem opere chirurgiæ ve eſt, quę ſecanda vel vrēda ſunt celeriter, vel tard e pro vſus neceſſitate peragere: quæ æque laudantur. Nã horum vtrorũq; vſus eſt, quoniam in quibus opus eſt vnica ſecatione, manuum opera celeriter peragatur, diuiſio, ſeparatio ve, ſiue ſecatio prodeſt. Siquidem quod ſectos iuuat vel moleſtat perniciter, celeriter ve tollitur: quare hæc ne differto, hoc enim pernici, celeri ve ſecatione, veniet. Cum autē plures inciſiones fieri neceſſe eſt, tarda manuũ opera vtitor: celer enī in his continuũ & multum laborem dolorē ve facit. Quod ſi aliquatenus intermittat, languentibus aliquam requiem dat: quod & de inſtrumētis dicatur, ſcalpris, gladiolis ve latis, exacutis vtitor: ſed hoc non in omnibus æque mandamus. Quędam enim corporis partes ſunt, quæ celerē ſangui-

nis fluctioné faciunt & habent, quod non facile cõprimitur, cõpescitur ve, queãdmodum sunt varices, quædãq; aliæ venæ, quæ non late secandæ ape riendæ ve sunt, nunquã enim deflue re cessarent, sanguinem tamen ex his mittere confert quandoq;, sed in locis non periculosis, & in quibus sanguis tenuis non est scalpris latioribus vti tor: sic enim latius defluet, & copio sius, minime autem aliter: turpe qui dem est valde cum ex manuũ opera, chirurgia ve quod quis velit, non eue nit. Cucurbitularum vero modi duo sunt vtiles & in vsu, nam cum destil latio reuma ve, ꝓcul à superiore car nis parte colligitur, circulus huius par uus sit, nec ventriosa, sed oblonga sit, manibus vti melius tractetur, nec gra uis efficiatur. Talis enim si sit, saniem ex carne ad supiora recta melius tra het, maiore vero dolore, labore ve per carnem sparso: alteram similem facito, circulum autem maioré huic circũducito: sic enim ex pluribus par tibus quod molestat ad locum quem oportet, eam adducere inuenies. Non

enim oportere putatur magnum cucurbitulæ circulum esse, cum ex pluribus locis humores caro non traxit, quæ si grauis sit, de superiore ad inferiora detrudet, cum cōtrà expediat, sæpiusque morbos relinquit: siquidem cum destillationes, reumata ve subter & procul à superioribus locis colliguntur & consistunt, lati magni ve circuli multa de reliqua carne trahunt, & conuellunt: quod facit, vti humiditas illic deducta ad collectam in loco inferiore saniem addatur, quæque vexant, relinquantur. quę vero nihil molestant, demantur & auferantur. Quænam cucurbitulæ magnitudo vsui sit, de corporis parte, cui admouenda est, considerato coniecturā ve facito. Cum vero locum pertruderis inciderisue, de parte inferiore sanguinem trahito, & excipito. Sanguis enī pateat oportet in locis manu tractatis, alioqui circulum contractum ne pertundito: caro nanque laborantis tenacior est. Scalpris autē, gladiolis ve recuruis retortis ve in summo vtitor: nec valde angustis: nam sanies
quandoq;

quandoq; crassa, & glutinosa exit, q̄ si in angusta pertusiõe remaneat, substatue, periculum est. Quæ autem venæ in brachiis sunt, compressionibus captentur, nam caro quę tegit venas in multis venæ non bene quadrat, coaptaturue: cum enim caro fluxa sit, per eam sæpe vtrarumque fallit incisio. Tecta siquidē, vena sufflatur, sanguinique defluxus impeditur, plurimis autē & puris, saniei ve, quapropter in hac re insistito. Si quidem hęc duo detrimenta talis manuum opera chirugia ve defert, secto quidem dolorem, laborē ve, secanti vero paruam gloriam, honorem ve, sed summum dedecus: quod & in omnibus seruari, fieri ve mandatur. Quæ quidē in munere medico necessaria sunt instrumenta. quæque eum scire oporteat, qui hanc artem didicerit, profiteaturq;, hæc sunt. quilibet enim, dētiũ volsellis, odontagresímve, & vuę volsellis staphylagresimue scit vti: nã earũ vsus simplex ē, & facilis. De tuberculis aũt, hulceribusq;, quæq; maiorũ morborũ sunt maius negotium

est. Tubercula. siquidem posse discuteret, col lectionesque eorum compescere, magis arti ficiosum est. consequens autem est hęc in patentem, & paruum locum dedu cere, tuberculique coactionem colle ctionemue planam, æqualemue red dere. Nam si plana, æqualiaue non sint, periculum est ne dehiscant, hul cusque cum difficultate curetur, sane turue. Quare cuncta complanentur, coæquenturue, maturenturque, nec ante pertundantur, aperianturue, sua nec sponte dehiscere sinantur, quam ma tura sint. Quæ autem hoc faciant, in aliis dictum est. Qua tuor autem vias hulcera habere videntur, quarum vna tendit alte, in profundumue, quæ fi stulosa sunt, quæque sub cicatrice pu tria, & intrinsecus caua sunt: secunda autem in altum, & superna tendit, quæ supercrescentem carnem emit tunt: tertia vero late spargitur, quæ serpentia hulcera dicuntur: quarta so la naturaliter mouetur, & procedit. Hæ quidem sunt carnis calamitates, quibus omnibus fermé eadem confe runt: quorum quidem signa in aliis de-

monſtrata ſunt, quóue pacto curen-
tur, quóue congeſtum conflatumue
diſcutiatur, plenumque vacuetur, ca-
uum compleatur, quodque in latum
tendit, decore cõpeſcatur, deque ho-
rum ſignis, notiſue, & curatione, in
aliis dictũ eſt: de linimentis vero ſeu
emplaſtris, cataplaſmatiſue ſic habet
Linteorum quidem quæ ſuperponũ
tur, præcipuus & accuratus vſus eſto
qua morbo & hulceri commodum
erit ſuperponuntur. Circa vulnus au-
tem emplaſtro, cataplaſmateue vti-
tor, quod eius vſus artificioſus eſt, qđ
que plurimum prodeſt, quod circum
ponitur. Nam quod circumponitur,
vulneri, hulceriue adiumẽto eſt. Lin-
teum autem ſeruato, quæ quidem ex
tra vulnus, hulcuſue ſũt, cataplaſma,
ſeu emplaſtrum linimẽtumue adiu-
uat. Horum autem vſus, talis eſſe de-
bet. De temporibus autẽ quibus hæc
vſui eſſe debent, facultateſque vireſue
quemadmodumque hæc quæ ſcripta
ſunt, diſcenda & exequẽda ſunt, nũc
prætermittitur: quoniam rei medi-
cæ plurimam & lõgiorem procura-

tionem exigunt, quæ plurimum artē excessit. Horum autem consequens est de vulnerum, quæ in militia, bel li sue fiunt, manuum opera, chirur giáue dicere, telorumque spitulorum ue extractione, quæ in vrbium obsi dione, expugnationeue cadunt. Sed horum paruus est vsus, nam raro lon góque tempore ciuiles, & hostiles ex peditiones fiunt, sæpius hoc in publi cis, seu generalibus expeditionibus euenit. Quam ob rem qui manuum opera, chirurgi áue ĩ his volet vti, hos sequatur, cumque his tanquam com milito degat, & militet, sic enim me lius in hac re sese exercebit. hoc profe cto videtur eē circa hæc, aut de his ar tificiosius dixisse. Signa vero telorũ existentium, prompte, cumulatue co gnoscere pars est artis maxima, cir caque hæc manuũ operæ, chirurgię ue. quod si inerit, nunq̃ saucius igno ratus præteribitur, cum non rite cura tur. Solus enim horũ signorum peri tus, his, quemadmodum decuit, ma nus admouebit. De his autem omni bus, in aliis scriptum est.

HIPPOCRATIS DE LEGE LIBER.



EDICA quidem ars cunctis profecto artibus præstat, sed eorum inscitia, qui ea vtuntur ac eorũ iudicio, qui his de hominibus non bene sentiũt, cunctis iam artibus ĩferior habetur. Horum autem erratio hanc mihi potissimum causam habere videtur: quoniam soli medicæ arti nulla alia pœna in vrbibus posita est & irrogata, præter quám vituperationis, ĩfamiæ ve: quæ quidem errantes non punit, qui psonis maxime similes sunt, quæ in tragœdiis producuntur. Figuram autem, formamue & habitum eorũ, quos agunt, habent, tamen illi non sunt: sic medici plurimi quidem verbis, sermone, famaue sunt, opere autẽ, & re vera ppauci. Nã qui vere medicę artis cognitionẽ, prudẽtiãue sibi paraturus est, commodeue ad eam sese accinget, hæc nanciscatur & habeat oportet: Naturam, ingeniumue,

puerilem diſciplinam, bonos mores, laboris amorem, tempus. Primũ quidem omniũ, natura, ingenioue opus eſt. natura enim repugnante & contrafaciẽte, cuncta caſſa & vana ſunt, quæ ſi ad optima ducat, ſcientia artis facile paratur & fit, quam cum prudentia acquirere oportet, diſcẽdo in puerili ætate loco ad diſciplinam cõmodo, laboris autem amorem, laborioſitatemue in multum, longumue tempus producere & conferre. Diſciplina hæc vti naturaliter inſita videatur, dextereq; & opportune maturos fructus ferat, cuius ſimilitudinẽ & in his, quæ terra gignũtur videre eſt. nã noſtra natura, ſeu ingenium tanquã ſeges & ager eſt, doctorum vero pręcepta, dogmataue, ſemina ſunt: diſciplina autem & ſci entia puerili ætate comparata ſuo tempore eſt ſemina in ſegetem, agrumue ſationi paratũ iactata fuiſſe. Locus autem, quo diſcitur nutrimentum eſt aeris, quod ſegeti & ſatis accedit: laboris vero cupiditas eſt opera, tractatioue, & ſubactio agelli: tempus autem hæc om-

nia corroborat, pleneque nutrit, prę-
betue quæ ad medicam artem, verā-
que eius cognitionem conferunt. Sic-
que hi, qui per vrbes vagantur & ver
ſantur, nō ſolum verbis & ſermone,
ſed opere & re medici cenſebuntur.
Nam ignoratio & imperitia malum
conditorium, & theſaurus eſt, malū-
que depoſitum his qui habent, ſom-
niumque eſt & eius quędam imago,
cognitioniſque veræ, prudentiæque
expers eſt, timiditatiſque & ignauiæ
& audaciæ nutrix. Timiditas enim
& ignauia prę ſeſe impotētiam fert,
ſed audacia artis ignorationem. Duo
enim ſunt, ſcientia, perſuaſioue &
opinio quarum altera ſcire facit, ſe-
cunda autem ignorare. Hæc itaque
cum ſacra ſanctaue negotia ſint, ſa-
cris, ſanctiſue viris demonſtrantur,
prophanis vero fas non eſt, priuſquā
diſciplinæ ſacris initientur.

HIPPOCRATIS, DE SPECIE, ACIE VISVVE, ET OPSIOS OCVLORVM CORRVPTA, LIBER.


Vm quidem ſpecies, acies, & viſus oculorū ſuapte natura, ſpōteue corrumpuntur, veneti coloris, cyanitideſue fiunt quod cum venit, curationem non ſuſcipit. Quæ vero maris coloris thalaſſoideeſue fiunt, ſenſim longo tem pore perduntur, corrumpunturue, ſæpeque longo tempore alter oculus perditur corrumpiturue. Quamobrem huius caput purgato, venaſque perurito, quique ſic per exordia cura tur, huius malum ſiſtitur, in peiuſque non procedit. Quæ autem inter veneti mariſque colorem ſunt, ſi quidē puero fiant, cum adoleuerit, ſiſtuntur & abeunt: ſin autem ſeptē annis maiori, melius admodum magna, clara, proculque videt, non tamen clare

perſpicit, ſi quidque admodum ocu-
lis admoueat, aliud vero nihil. Huic
purgatio capitis peruſtioque confe-
ret. ſanguinem vero his mittere non
confert nec in colore veneto, nec ma-
rino. Lumen autem in oculis ſana ſpe
cie & acie puerorum mas fœminaue
ſit, creſcente adhuc corpore, nunquã
iuueris. Cum vero non creſcet, oculũ
ſpectato, palpebralque radens exte-
nuato, ſicque egere videatur, & intus
vrito ferramento non admodũ can-
denti ſeu ignito, deinde crura diſten-
dito colligatoque, ſellamque menſu-
lamue ſubterponito , qua manibus
firmetur, medium aliquis teneto, po-
ſtea ſcapulares venas captato, conſi-
derato, conſignatoue, deinde craſſio-
ribus ferramentis plaide perurito, ne
ſanguis cum vres prorumpat. San-
guinem vero, ſi tempus videatur ante
mittito, poſterioraque ad os vſque
perurito: poſtea ſpongiam oleo tin-
ctam oleatamue ſuperponito, & inu
rito non valde ad os vſque: ſi vero
ſpongia vſtione cauſterioue conſu-
meretur, pinguiorem & craſſiorem

alterā indito & inurito, postea melle tinctum arum superponito. Cum autem venam penitus non vsseris, cū crusta decidet, similiter vena tēditur, tumet, completur, salit, pulsatue, cū sanguis subterfluit. Si vero penitus vsseris, minus hæc omnia patietur. Qd si primo minus perusseris, rursus perurito, spongiamque vehementius super venam fluentem positam peru rito. Crustæ namque bene perustæ citius decidunt, cicatricesq; ad os perustæ pulchrius veniunt. Cum autem vlcera sanescunt, rursus inflantur, tolluntur, rubent plusquam cætera: sicutique eleuatæ tumen tesue comparēt, donec tempus superueniat transeatue, capite, pectore perusto similiter toto corpore vbi quid perustum sit. Cū autem oculi palpebras rades, tergesue, milesiæ lanæ puro flore circa fusum conuoluto, radito tergitoue, coronamque oculi conseruato custoditoue, neue ad cartilaginem vsq; peruras caueto. Signum autem erit te satis vsisse tersisseue, cum sanguis non syncerus purusue, sed cruenta aquo-

ſaue ſanies defluet. Tunc medicamen
to linimentoue aliquo, in quo æris
flos ſit, linito: poſt autem vſtioné ter-
ſionemque cum cruſtæ deciderint, vl-
ceraque purgata fuerint pullulabunt
quæ, lineam per verticem, frontiſue
ſupremam partem ducito, ſecatoq;:
cumque ſanguis defluxerit, medica-
mento quod ſanguinem ſiſtat con-
glutinetue, linito. Huius autem & om
nium vltimum ſiue primũ opus eſt,
caput purgare, palpebraſque cũ craſ-
ſiores turgidioreſue ſunt, quàm ſua-
pte natura eſſe conſueuerint, ſubter-
ſecare quàm leniſſime poteſt. Poſtea
ferramentis non admodum canden-
tibus conſeruata non læſaue pilorum
natura radiceue ſuperurere, tenuiue
ęris flore peruſto ſpargere: cum vero
cruſta deciderit, ſicuti cætera curato.
Cum autem palpebræ ſcabie labora
bunt prurientue, æris floris glebulã
cote terito, deinde palpebras eo lini-
to ſpargitoue, poſtea ſquamã æris te
nuiſſime tritã ſucco vuæ acerbæ pco-
lato, vaſe rubri æris commiſceto, do-
nec ſicuti moretum, polẽtaue craſſe-

ſcat: poſtea cum aruerit, trito tenuiter vtitor. Luſcioſus nyctalopuſue medicamentum elaterium potato, caput purgato, ceruicē poſteriore parte ſcalpro aperito, diuque ſic purgato præmitoue, deinde crudum bouis iecinoris fruſtulum vnum duóue quā maximum poterit melle tinctum deuorato. Si quis oculis ſanis non videat, ſcalpro huic verticem ſummāue frontem, ſiue bregma aperito, cutem ab oſſe remoueto, os ſecato, aquam educito, deinde curato, ſic ſaneſcet. Malo autem oculorum lippitudiniue ſeu ophthalmiæ conſueto paſſimque vaganti, capitis ventriculique inferioris purgatio confert, ſanguiniſque miſſio: ſi corpus patiatur habeatue, cucurbitulæque horum dolorum ſi quibuſdam admoueantur ſecundum venas. Cibus modicus eſto panis & aquæ potio, locoque obſcuro cubato, proculque à fumo, igne, cæteriſq; luminibus obliquis, quæ cuncta valde caueto, modo que in dextera, modo in ſiniſtra cubato, caput ne madefacito, ſiquidem nō confert. Liniment-

tum vero cataplaſma ve, quod præſertim deſtillationem compeſcat, nõ confert: ſi dolor non ineſt, tumoribus vero qui non doleant. poſt acria doloris medicamenta data & inuncta cum dolor ceſſauit poſt medicamẽti inunctionem, tunc linire & emplaſtrare confert emplaſtratione ea, quę tibi conferre videatur. Sed neque cõtente diu contueri confert, lachrymã enim prouocat, cum oculus non poſſit aduerſus clara lumĩa reſiſtere. Sed nec etiam clauſis oculis diu iacere cõfert, ſi præſertim calidum diſtillet, quod retentum calefacit, quamobrẽ cum non diſtillat & areſcit, tunc linito, quia confert.

FINIS.

PIO LECTORI.

HAbes hic præterea lector optime hos libellos, quos huic opuſculo curauimus imprimendos: vnum, videlicet, Hippocratis de medico, ſiue de medici officio, alterum autem de lege, tertium vero de ſpecie & viſu. Nulla enim horum mentio fit in prima pagella huius voluminis: quoad freti fuimus cuiuſdam prudentis conſilio, qui, cum opus ad bonam vſque partem confectum erat & propemodum excuſſum, admonitos iri nos voluit, ipſos cum iſtis adiungi, quaſi magnum aliquod huius operis adiumentum allaturos.

Impreſſum Venetiis in ædibus Hieronymi Pencii Leucẽſis. Sumptibus Hieronymi Paulucii & ſociorum. Anno natiuitatis. 1530. die primo menſis Ianuarii.

